VIRIDARII SANCTORVM

Pars tertia.

CONTINET ILLVSTRIA SANCTORVM EXEMPLA,

EX GRÆCIS, ET LATINIS SCRIPTORIBVS DEPROMTA,

A

MATTHAEO RADERO,
DE SOCIETATE IESV.

MONACHII,
EX FORMIS BERGIANIS.

CIↃ. IↃC. XIV.

CAPITA TERTIÆ PARTIS VIRIDARII.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

ANDREÆ DE BNIN, OPALINIO PONTIFICI POSNANIENSI,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

MATTHÆVS RADERVS E SOCIET. IESV.

Salutem & multos annos.

APud Vitruuium scriptorem rarum & antiquum, Illustrissime & Reuerendissime Antistes, cognosco peregrè aduenientes, & abire rursum cogitantes, à veteribus Græcis libera- Vitruuius lib. 6. c. 10.

liter admodum acceptos fuisse & dimissos: Cum fuerunt, *inquit ille nobilissimus Architectus,* Græci delicatiores (*dixisset humaniores*) & ab fortuna opulentiores, hospitibus aduenientibus extruebant triclinia, cubicula cum penu, cellas: primoque die inuitabant ad cœnam, postremò mittebant pullos, oua, olera, poma, reliquasq; res agrestes. Ideo pictores ea, quæ mittebantur hospitibus, picturis imitantes, xenia appellarunt.

Demosthen. περὶ στεφάνου. Cic. pro S. Roscio. Am. Suidas, Suet. Cal. & Vesp. Lamprid. Heliogab. S. Am-

Sed ijdem Græcis postea & Latinis hospites & amici, φίλοι καὶ ξένοι. *Atque vt munera aduentoribus diuersitoribusq; missa xenia dixère, ita quæ hospites & amici ex conuiuio secum auferebant, apophoreta nuncupabant, quemadmodum*

admodum certißimus & amplißimus testis Ambrosius affirmat. Qui ad conuiuium, *inquit*, magnum inuitantur, apophoreta secum reportare consueuerunt: *nam* brosius ad-hort. ad Virg

Præmia conuiuæ dat sua quisq; suo. Mart. lib. 14. ep. 1.

Venisti ad nos, Illustrißime & amplißime Antistes, ante sesqui ferè annum, & venisti ignotus, eòque nec Attico, nec Romano ritu acceptus: nesciebamus enim sub peregrino hospitis cultu tantum velari Pontificem, tantumq; latere gentis nostræ, Societatis inquam, amicum. Vbi aliquandiu nobiscum versatus es, animumque cœpisti maiorem præsenti, (quâ videbare) fortunâ, prodere; nosq; sensim tuum erga nos affectum, sensumq; humanitatis, officij, liberalitatis & dignitatis plenißimum deprehendimus, erubuimus

 prope

propè de bonoris xenijq́; miſsitatione neglecta, non enim negligendos hoſpites monet parœmia.

Odyſſ. ι
Αἰδοῖος γάρ τ' ἐστὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
ἀνδρῶν ὅστις ἵκηται καὶ ἀλώμενος

Nam Diuis reuerendus & immortalibus ille eſt,
Quicunq; appulerit multis erroribus actus.

Iam verò notum & familiarem & Societatis opt. max. patronum, & Poloniæ regni ſanctiſsimi & florentiſsimi illuſtriſsimum decus & Eccleſiæ Poſnanienſis columen, ſine apophoreto domum remittere, quod flagitum foret? nonne ------ περὶ πόμπης

Odyſſ. η
Μνησόμεθ' ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης
Πόμπῃ ὑφ' ἡμετέρῃ ἣν πατρίδα γαῖαν ἵκηται
Χαίρων, καρπαλίμως, εἰ καὶ μάλα τηλόθεν ἐστὶ

-------de reditu nos
Vt lætus patriam repetat non cura tenebit?
Quamuis ille procul patriis à finibus abſit.

Ecquid ergo conſilij? auro te proſequemur?

sequemur? non soles accipere, sed dare. Vota pro tua salute suscipiemus? vt rata sint optas, sed plus debemus. Impensè te florum hortorumq́; amœnitate, maximorum exemplo Principum delectari cognouimus; florilegium ergò sacrum, vt sacros decet, fecimus, & viridarium è Sanctissimorum virorum virtutibus petitum instituimus; in quod te priusquam hinc discederes, Societatis nomine inuitaremus, vt inde quidquid luberet, legeres ac delibares, imò tecum auferres: nec enim est tam immensum, vt illud beatum nemus Numinis, Adamo non optimo colono, excolendum commissum; aut Cyri siue Semiramidis suspensi & pensiles horti; aut Hesperidum Insulæ; aut Alcinoi campi; aut biferi rosaria Pæsti, sed quod paullo maius ac illud Lupi.

AAA 4 *Argutæ*

Mart. lib. 11. epist. 19.

Argutæ tegit ala quod Cicadæ.

Est tamen in hoc ipso Viridario nostro, pratoq; religioso non inops copia hortensium diuitiarum & deliciarum. Miraberis non paucos nostratis cæli palmites, sed plures peregrinos, & in Oriente natos ac denatos flores, qui hodie etiam illic elanguerunt: quos nisi Limonariorum scriptores literarum monumentis custodissent, floruisse etiam ignoraremus. Vbi enim hodie peruigiles illos semperq; in aperto viuentes, & nunquam conniuentes, in sole desudantes, nunquam à statione recedentes, Stylitas, inquam, reperiemus? quos non secus atq; priscorum artificum tabulas pictas, si quæ è tenebris eruuntur, admiramur. Sed declinârunt hæ priscorum heroum excubiæ in somnum, & ipso senio fessæ tandem vertentibus

annis

unnis succubuerunt, quos tamen admirari licet, si non libet imitari. Sed vnũ caput tam ardua & admiranda sæculis omnibus exempla narrat, cætera se ad mortalium imbecillitatem, & nostros mores vtcunq; submittunt, nisi quod æternis clausi domiciliis etiam hodie vel nulli, vel rarißimi, qui olim frequentes fuère, conspiciantur. Cætera à communi vita non abhorrent, vt proinde vtilem hunc laborem, non togatis, vittatis, ac trabeatis tantum, sed palliatis etiam, & ciuilem vitam sequentibus vsui fore speremus: censura enim sobria de alienis moribus pertinet ad omnes; vti & suiipsius accusatio, & defensio alterius; quæ conciliat generis humani societatem, quam vitia contraria dissuunt & abrumpunt. Et me verè sentire, nemo dissentiet, nisi qui

de se ipse male sentit. Patere ergo Viridarium hoc tuo nomine, Illustrißime & Reuerendißime Præsul, tuisque auspiciis in orbem propagari, cuius ipse pars magna esse poßis, nisi præsentes laudare verecundia sit, vel pudor tuus sustineat. Mores certè tui Pontifice etiam maiore digni, possunt docere sæculum nostrum, & vel maximè infulas & tiaras, quam sanctè religioséque sit viuendum ijs, qui vitæ rationem ab alijs vel solent vel debent reposcere. A pastore mores trahunt oues, vt ab Imperatore miles, à principe subiecti, à magistratu ciues. Spectata tua semper est innocentia, non solum cum puer inter cætus virorum religiosorum, parentum voluntate es eductus; sed cum in aulis Pontificum, totoq; octennio apud ipsum Clementem VIII. velut in

lut in templis ad aras religiosissimè vixisti, à quo in Sueciam legatus ipsius nomine Pontificis, ad Sigismundum hunc Serenissimum Poloniæ & Sueciæ Regem venisti, vt è Baptismo regiam prolem susciperes. Nec à te vnquam desciuisti, cum alijs quoq; legationibus ad maximos Principes Regis tui Serenissimi auctoritate sæpius prudẽter & feliciter perfunctus es. Nam & Paulum V. qui hodie nominis Christiani caput, ad clauum Ecclesiæ sedet, legatus Serenissimi Sigismundi adijsti. Cæsarem Rudolphum eiusdem missu conuenisti. In aulis demum diu multumq́;, extra tamẽ aulas quodammodo es versatus. Vnde regum oculis in te cõiectis, creatus primum Sciopoleos; mox Posnaniensis Pontifex; regijq́; sine Polonici consilij particeps, quam constan-

ter

ter publicis in regni comitijs pro sancta religione stetisti, quam acriter fortiterque pro eâdem propugnasti? Cum alij Symmystæ tui & maiores etiam Pontifices, propè iugulum aduersarijs, inopes consilij & auxilij præbere vellent. Academiam Posnaniæ nouam à Summo Pontifice, regia Maiestate & Senatu purpuratorum Poloniæ impetrasti, eiq; Societatem nostram præesse voluisti. Familiam etiam nostram Posnaniensem veluti Parens noster liberaliter aluisti, vt ea in re maiores tuos, quamuis liberales, munificentia tamen multis partibus superâris. Quod enim illi benè feliciterq; inchoârunt, tu optimè felicissimeq; prosecutus prudentiâ, consilio, opere & operâ confecisti. Nec possum assequi, quid in tuis moribus singulare sit, vt quibuscum agis, aut in

collo-

colloquium venis, sanctitate vitæ & elegantia ingenij, simul omnes capias, & rapias in tui amorem. Simul enim Augustam intrasti, intrasti simul in amicitiam principum ciuitatis: vbi, qui esses aperuisti, Guilielmum Serenissimũ, pium, & O. M. Boiorũ Principem arctissimo tibi familiaritatis & charitatis vinculo astrinxisti; à quo Monachium etiam Boiorum caput inuitatus, regiè tractatus, & cum regio apophoreto, hoc est, munere principe tanto digno dimissus es. Dilingam ab Henrico Augustano Pontifice, principe item imperij illustrissimo solicitatus, & ab eodẽ cum vniuersâ Academia nouis & singularibus honoribus cultus auctusq; redijsti. Eistadianus ampliss. & Illustrissimus antistes Ioannes Conradus, & ipse pars magna sacri imperij, non passus est suam

ſuam erga te humanitatem, beneuolentiam, & amorem mutuis frequenter officijs, & multis affectuum ſignificationibus declaratum, deſiderari. Comitas hæc tua ANDREA *Præſul Illuſtriſsime, hanc vim habet, vt veluti magnes, hominum affectus trahas, tibique copules & deuincias. Nullum epiſtolæ modum inueniam, ſi attingere dumtaxat omnia, non deſcribere, quæ vel ipſe coram ſpectaui, vel ab alijs de abſente accepi, vel ipſe de te legi, velim in litteras mittere. Præſertim ſi in gentem tuam & familiam, ceris, vt aiunt, & ære nobilem, velim digredi, actaq́; Pontificum gentiliciorum Petri, Nicolai, Andreæ, procerumq́; Illuſtriſsimorum Gerardi Bninij, Sebaſtiani ac Petri Opaliniorum memorare, quantas res domi in aulis Regum, quantas belli, foriſq́;*

Martinus Cromerus de reb. Polo. lib. xxi. & Orat. funeb. Sigiſm. I. Ioan. Demetrius orat. funeb. Sigiſmun. II.

risq́; in legationibus maximis confecerint, non præfatiunculam, sed Iliadem & Chiliadem condam. Certè vir illustrissimus Andreas Opalinius, ex quo, Præsul amplissime, fæliciter natus es, regni Mareschallus, Stephani Regis, æternis laudum & literarum monumentis celebrandi, testamentarius cum Samoschio dictus, aulam post Petrum Opalinium patruum rexit; & Sigismundo III. qui hodie fælicissimè & fortissimè imperat, regnum incolume seruauit. Sed quid ego maiorum tuorum acta prædico, cum tuas virtutes præterire cogar, quibus ita illustribus polles, vt minimè indigeas alienis. Vrge cœpta Illustrissime ANDREA, & quâ cœpisti virtutis via, ad veram grassari gloriam perge; curas quamuis graues & ingentes, breues tamen, sempiternus

ternus famæ & victoriæ triumphus, ac immortalia demum gaudia subsequentur, ad quæ te cymba, quam fers in gemma, tanquam ad beatitatis portum deferet, cum qua Epistolam finio.

Quid sibi vult Hierarcha tuâ quod in icone puppis
Nauigat absq; salo, nauigat absq; Notho?
Quæ portat titulos, & dignam præsule vitam,
Non quærit ventos cymba, nec optat aquas.
Fama leuat proram totum dilata per orbem;
Illa afflat Zephyros; inflat & illa mare.
Hæc precor Elisios saluum te portet ad hortos,
Ver vbi perpetuo floris honore viret.

Augustæ Vindel. III. Idus Apriles, ferijs S. Leonis Papæ. Anno recepti per Christum orbis, CIↃ.IↃC.XII.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. ANDREam Posnaniensem Episcopum.

Humani assertor generis, cui machina mundi
Subdita, consistens in vasti culmine Olympi,
Spectabat curas hominum, & diuersa laborum.
Quem iuxta alma parens, terræq; poliq; voluptas.
Cum conuersum oculos ad clara mœnia Posnæ,
His tuus, ANDREA, *geniter cælestibus oris*
Iam pridem impositus, te propter vocibus ambit.
Rex regum, qui cuncta æquo moderamine torques,
Qui meritis tua dona libens, & præmia reddis,
Cerne meum gnatum, cui crines infula vestit,
Dextra pedum portat. Mandatum vt curat ouile?
Pascit vt, ecce, tuos quantum pote sedulus agnos?
Seq; ad Pastorum magnorum imitamina fingit?
Vt studet expertem decurrere crimine vitam?
Ergo age, Christe, iube mortales exuat artus.
Aetheris accipiat iam tempestiuus honores,
Quò mecum mea progenies lætetur in æuum.
Rex superûm contra placido sic incipit ore.
Mitte orare tuo communia gaudia nato,
Et sine quod meruit magis & magis vsq; mereri.

Mart. lib. 11. epist. 19.

Argutæ tegit ala quod Cicadæ.

Est tamen in hoc ipso Viridario nostro, pratoq; religioso non inops copia hortensium diuitiarum & deliciarum. Miraberis non paucos nostratis cæli palmites, sed plures peregrinos, & in Oriente natos ac denatos flores, qui hodie etiam illic elanguerunt: quos nisi Limonariorum scriptores literarum monumentis custodissent, floruisse etiam ignoraremus. Vbi enim hodie peruigiles illos semperq; in aperto viuentes, & nunquam conniuentes, in sole desudantes, nunquam à statione recedentes, Stylitas, inquam, reperiemus? quos non secus atq; priscorum artificum tabulas pictas, si quæ è tenebris eruuntur, admiramur. Sed declinârunt hæ priscorum heroum excubiæ in somnum, & ipso senio fessæ tandem vertentibus

annis

annis succubuerunt, quos tamen admirari licet, si non libet imitari. Sed unũ caput tam ardua & admiranda saeculis omnibus exempla narrat, caetera se ad mortalium imbecillitatem, & nostros mores utcunq; submittunt, nisi quod aeternis clausi domiciliis etiam hodie vel nulli, vel rarissimi, qui olim frequentes fuere, conspiciantur. Caetera à communi vita non abhorrent, ut proinde utilem hunc laborem, non togatis, vittatis, ac trabeatis tantum, sed palliatis etiam, & ciuilem vitam sequentibus usui fore speremus: censura enim sobria de alienis moribus pertinet ad omnes; uti & suiipsius accusatio, & defensio alterius; quae conciliat generis humani societatem, quam vitia contraria dissuunt & abrumpunt. Et me verè sentire, nemo dissentiet, nisi qui

 de

de se ipse male sentit. Patere ergo Viridarium hoc tuo nomine, Illustrißime & Reuerendißime Præsul, tuisque auspiciis in orbem propagari, cuius ipse pars magna esse poßis, nisi præsentes laudare verecundia sit, vel pudor tuus sustineat. Mores certè tui Pontifice etiam maiore digni, possunt docere sæculum nostrum, & vel maximè infulas & tiaras, quam sanctè religiosèque sit viuendum ijs, qui vitæ rationem ab alijs vel solent vel debent reposcere. A pastore mores trahunt oues, vt ab Imperatore miles, à principe subiecti, à magistratu ciues. Spectata tua semper est innocentia, non solum cum puer inter cætus virorum religiosorum, parentum voluntate es eductus; sed cum in aulis Pontificum, totoq; octennio apud ipsum Clementem VIII. velut in

lut in templis ad aras religiosissimè vixisti, à quo in Sueciam legatus ipsius nomine Pontificis, ad Sigismundum hunc Serenissimum Poloniæ & Sueciæ Regem venisti, vt è Baptismo regiam prolem susciperes. Nec à te vnquam desciuisti, cum alijs quoq; legationibus ad maximos Principes Regis tui Serenissimi auctoritate sæpius prudēter & feliciter perfunctus es. Nam & Paulum V. qui hodie nominis Christiani caput, ad clauum Ecclesiæ sedet, legatus Serenissimi Sigismundi adijsti. Cæsarem Rudolphum eiusdem missu conuenisti. In aulis demum diu multumq;, extra tamē aulas quodammodo es versatus. Vnde regum oculis in te cōiectis, creatus primum Sciopoleos; mox Posnaniensis Pontifex; regijq; siue Polonici consilij particeps, quam constanter

ter

ter publicis in regni comitijs pro sancta religione stetisti, quam acriter fortiterque pro eâdem propugnasti? Cum alij Symmystæ tui & maiores etiam Pontifices, propè iugulum aduersarijs, inopes consilij & auxilij præbere vellent. Academiam Posnaniæ nouam à Summo Pontifice, regia Maiestate & Senatu purpuratorum Poloniæ impetrasti, eiq; Societatem nostram præesse voluisti. Familiam etiam nostram Posnaniensem veluti Parens noster liberaliter aluisti, vt ea in re maiores tuos, quamuis liberales, munificentia tamen multis partibus superâris. Quod enim illi benè feliciterq; inchoârunt, tu optimè felicißimeq; prosecutus prudentiâ, consilio, opere & operâ confecisti. Nec possum assequi, quid in tuis moribus singulare sit, vt quibuscum agis, aut in

collo-

colloquium venis, sanctitate vitæ & elegantia ingenij; simul omnes capias, & rapias in tui amorem. Simul enim Augustam intrasti, intrasti simul in amicitiam principum ciuitatis: vbi, qui esses aperuisti, Guilielmum Serenissimũ, pium, & O. M. Boiorũ Principem arctissimo tibi familiaritatis & charitatis vinculo astrinxisti; à quo Monachium etiam Boiorum caput inuitatus, regiè tractatus, & cum regio apophoreto, hoc est, munere principe tanto digno dimissus es. Dilingam ab Henrico Augustano Pontifice, princìpe item imperij illustrissimo solicitatus, & ab eodẽ cum vniuersâ Academia nouis & singularibus honoribus cultus auctusq; redijsti. Eistadianus ampliss. & Illustrissimus antistes Ioannes Conradus, & ipse pars magna sacri imperij, non passus est

suam

ſuam erga te humanitatem, beneuolentiam, & amorem mutuis frequenter officiјs, & multis affectuum ſignificationibus declaratum, deſiderari. Comitas hæc tua ANDREA *Præſul Illuſtrißime, hanc vim habet, vt veluti magnes, hominum affectus trahas, tibique copules & deuincias. Nullum epiſtolæ modum inueniam, ſi attingere dumtaxat omnia, non deſcribere, quæ vel ipſe coram ſpectaui, vel ab alijs de abſente accepi, vel ipſe de te legi, velim in litteras mittere. Præſertim ſi in gentem tuam & familiam, ceris, vt aiunt, & ære nobilem, velim digredi, actaq́; Pontificum gentiliciorum Petri, Nicolai, Andreæ, procerumq́; Illuſtrißimorum Gerardi Bninij, Sebaſtiani ac Petri Opaliniorum memorare, quantas res domi in aulis Regum, quantas belli, foriſq́;*

Martinus Cromerus de reb. Polo. lib. xxi. & Orat. funeb. Sigiſm. I. Ioan. Demetrius orat. funeb. Sigiſmun. II.

risq; in legationibus maximis confecerint, non præfatiunculam, sed Iliadem & Chiliadem condam. Certè vir illustrissimus Andreas Opalinius, ex quo, Præsul amplißime, fæliciter natus es, regni Mareschallus, Stephani Regis, æternis laudum & literarum monumentis celebrandi, testamentarius cum Samoschio dictus, aulam post Petrum Opalinium patruum rexit; & Sigismundo III. qui hodie fælicissimè & fortissimè imperat, regnum incolume seruauit. Sed quid ego maiorum tuorum acta prædico, cum tuas virtutes præterire cogar, quibus ita illustribus polles, vt minimè indigeas alienis. Vrge cœpta Illustrissime Andrea, *& quâ cœpisti virtutis via, ad veram grassari gloriam perge; curas quamuis graues & ingentes, breues tamen, sempiternus*

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. ANDREam Posnaniensem Episcopum.

HVmani assertor generis, cui machina mundi
Subdita, consistens in vasti culmine Olympi,
Spectabat curas hominum, & diuersa laborum.
Quem iuxta alma parens, terraeq́; poliq́; voluptas.
Cum conuersum oculos ad claræ mœnia Posnæ,
His tuus, ANDREA, *genitor cælestibus oris*
Iam pridem impositus, te propter vocibus ambit.
Rex regum, qui cuncta æquo moderamine torques,
Qui meritis tua dona libens, & præmia reddis,
Cerne meum gnatum, cui crines infula vestit,
Dextra pedum portat. Mandatum vt curat ouile?
Pascit vt, ecce, tuos quantum pote sedulus agnos?
Seq́; ad Pastorum magnorum imitamina fingit?
Vt studet expertem decurrere crimine vitam?
Ergo age, Christe, iube mortales exuat artus.
Aetheris accipiat iam tempestiuus honores,
Quò mecum mea progenies lætetur in æuum.
Rex superûm contra placido sic incipit ore.
Mitte orâre tuo communia gaudia nato,
Et sine quod meruit magis & magis usq; mereri:

PROPRIORVM

A.

R.

S.

T.

DE PERVERSA ALIENÆ VITÆ CENSVRA.

Caput primum.

NVLLVM vitium adeo mortalibus familiare est atque excusare sua, aliena accusare: hoc prima etiam infantia non ignorat, pueritia nouit, retinet adolescentia, exercet ætas perfecta, suspiciosa senectus non ante mortem dimittit. Rarus à lare suo incipit, plerique omnes culpas nostras in posticam manticam reiicimus, anticam alienis implemus, benigni nostrorum, maligni alienorum factorum interpretes, aliena in oculis, nostra à tergo habemus, verrucas aliorum videmus, ad tubera nostra cœci:

Vt nemo in sese tentat descendere, nemo;
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

sco. Alio post tempore cum ipsius quoque Zosimæ religio eod. audiente prædicaretur: Nemo, inquit, mihi præter Macarium laude dignus videtur. Rursum vsuuenit, vt secundum aliquot menses & Macarius ob virtutis existimationem verè beatus diceretur. Et hic iterum: Quis, inquit, est Macarius, nullus certè est præ Basilio & Gregorio. Cum alia deinde occasione & hi duo signatè egregij virtutis, & eruditionis magistri probarentur; mox ille & his abiectis neminem præter Petrum & Paulum magnopere admirandum; qua re ego animaduersa monui impudentem censorem, videret quo progrederetur, futurum vt & hos olim aspernaretur, quod & breui post euenit, cum & his spretis nihil sanctum assereret præter sanctissimam numinis vnam in triade diuinitatem. Quam demum ipsam ausus est impiè inficiari. Neminem ergò vel hominum vel Diuorum, præter se, in censum sanctorum admittebat, tam nefaria, & intoleranda est iudicis alienæ vitæ superbia. Nonne indignissimum est, inquit, ni fallor, Isaias Anachoreta, & quod omnem admirationem stuporemque animi superat, neminem ab ipso Diuorum hominumque patre Deo iudicari; pater

Eundem ille superat.

Macarium celebrat.

Eundem abiicit, Basilium & Gregorium miratur.

Petrum & Paulũ prædicat.

Eosdem contemnit.

SS. Triadem adorat.

Eandemque inficiatur.

Ex MS. bibl. serenisś. Maximiliani Boiorum Ducis.

Luc. 6. Matth. 7 Ad Rom. 2. *enim non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*: Filius autem clamat: *nolite iudicare, & non iudicabimini*: & Apostulus eod. modo: *nolite ante tempus iudicare, quoad dominus venerit*: &; *in quo iudicio iudicas alterum, teipsum condemnas*: Homines autem neglectis peccatis abstulerunt sibi ipsum iudicium à filio, & ipsi tanquam omnis exsortes peccati alter alterum iudicat, & condemnat. Et cœlum quidem obstupuit super hoc; & terra contremuit; soli mortales velut exsensi, nihil sapiunt, nil sentiunt.

II.

ASCETA LATRONEM damnans damnatur.

Vita patrū. NEc cedit huius impietati funestum illius iudicium, qui, vt est in priscorum patrum chartis, latronis animum cœlestium officiis exceptum, ad cœlitum sedes vidit traduci, & offensus in ipsa pietate numinis, doluit impius Deum esse pium, quē adeoque reum apud se violatæ iustitiæ peregit, & quadraginta annorum labores vna censura corrupit: publicus enim parricida ad superos expiatis noxis repentè euolauit; anachoreta superbus & alieni criminis sacrilegus

legus censor Dei, ad Æacum, & Rhadamanthum amandatus est, vbi sua scelera disceret, aliena ne censeret.

III.

PHARISÆI.

IN eadem naui versabatur improba Iudæorum natio, præsertim qui falsam sibi pietatis personam sumebant, vt ille qui sua facta in templo per speciem precationis, Deo quodamodo exprobrabat, aut certè prædicabat, cum interim stantem in vltimis ædis foribus & sua conscientia, numinisque reuerentia confusum, nec lumina ad cœlum sustollere audentem, sed pectus duntaxat plangentem, & sua scelera execrantem contemsit, abiecit, & quasi catharma & piaculum auersatus, hoc retulit à supremo numine gratiæ, vt gratia excussus illam concesserit à se damnato. *Luca 18.*

IV.

SIMON PHARISÆVS.

EAdem culpa Simonem Elephantiacum tenuisset, nisi errantem veritas in viam reduxisset, quando ipsam sapientiam ignorantiæ alligauit, vt qui nesciret, quæ fuerit, *Luca 7.*

ſueſcere, obiectos adorare, obmuteſcere ſuos Apollines, Delphica ahena nil ſonare, effigiatum aurum & argentum diffluere, adorata marmorum capita plecti, manus, pedes, & tota corpora proſterni, Deos ipſos imbecillitatē ſuam erubeſcere, & alia ſexcēta, quæ non ſolum facultatem mundi, ſed ipſorum quoque Deorum, quibus litabant, vim exarmabant, hæc, inquam omnia incantationes, & veneficia interpretabantur, ne victam prodere ſuperbiam, & errorem agnoſcere cogerentur.

Paſſim in hiſtoriis Sanctorum apud Surium & alios.

VII.

HELI SACERDOS.

SEd eo vſque progreditur humani prauitas ingenij, vti ne ſanctos quidem videamus, in hac ſibi parte ſatis conſtitiſſe aut cauiſſe. Optimus ille & magnus DEI myſtes Heli, indulgentiſſimus filiorum improborum cenſor, iniquior alienæ vitæ æſtimator, Annam ſterilem doloris plenam, & lacrimis perfuſam, atque ex intimis animi receſſibus ſuſpiria promentē, ac tacitis votis clamantem, mutiſque labris numinis miſericordiam implorantem, vt ebriam ac temulentam notauit.

Grauiſſimum autem in hoc cenſendi

nomine, prauo & corrupto iudicio condemnat, adulterij pœna plectetur. Debetur enim huic supplicium lege talionis, vt XII. tabularum quoque decretis sancitum est: *Si quis membra ruperit, talio esto.* Adulterii condemnas innocentem: talione (pœna adulterii) puniris. Sed latet & alia improbitas in hac censura: suo quisque pede metitur alterum, furiosus omnes putat furere. Quid est, quod tibi, cum virgo occurrit, incidat, nonariam & prostibulam esse? meliora melior de aliis cogitares: esto non sis, quem alterum putas; at olim fuisti, aut olim eris, aut certè vt sis, fieri potest. Egregie magnus ille Cassianus multa de vitiis disputat, & de peruerso iudicio narrat Machatis viri cætera sancti errorem.

VIII

DE MACHATE.

M*Achates*, inquit Cassianus, *cùm instituêret nos neminem diiudicare debere: intulit tria fuisse in quibus discusserit, vel reprehenderit fratres: quod scilicet vuam sibi nonnulli paterentur abscindi: quod haberent in cellulis sagum: quod oleum benedicentes exposcentibus secularibus darent: & hæc omnia se incurrisse dicebat. Nam ægritudine* — *Cassianus* — *Vua morbi* — *vua genus.*

vuæ contrahens: tamdiu, inquit, eius languere distabui; donec tam doloris necessitate, quam seniorum omnium adhortatione compulsus abscindi eam permitterem. Cuius etiam infirmitatis obtentu, sagum quoque habere coactus sum. Oleum etiam benedicere & supplicantibus dare: quod præ omnibus execrabar: vtpote iudicans illud ex magna cordis præsumtione descendere: circundantibus me repente secularibus multis, ita constrictus sum, vt aliter eos nullatenus euadere possem, nisi à me summa vi & obtestationibus extorsissent, vt ablato ab eis vasculo manum meam impresso crucis signaculo supponerem: itaque se credentes benedictionis oleum consecutos, tandem me aliquando relaxarunt. Quibus mihi manifestè compertum est, iisdem causis ac vitiis monachum obligari: in quibus de aliis iudicato præsumserit.

IX.
THEODOSIVS minor.

Seneca l. 2. de ira cap. 23. & 24.

MEndosissimæ sunt suspiciones, & vel rarò, vel nunquam veræ, quæ tamen in vltima pericula multos præsertim in coniugio coniecerunt.

Zonaras Theophanes Mi. Glycas,

Theodosius Magni imperatoris nepos, ingenio miti, probo & simplici, sed minus cauto, vana pomi suspicione ab Eudocia cõiuge

iugePaulino nobilissimo & sanctissimo viro dono missi, & vxorem à societate tori remouit, & illum extra omnem noxiam interfici iussit. Quapropter optimus ille sacræ disciplinæ Doctor Dorotheus, acerrimè in hoc genus suspicandi, arbitrandi, iudicandi inuehitur, cum in hæc verba scribit, vti ex Græco reddo.

Constantinus. Manasses. Niceph. Cedrenus. Vide Aulam sanctam. cap. 16.

X.

S. DOROTHEVS.

Serm. 9. De seipso & patricum.

VErsatvs in communi religiosorum, amabam ex obuii cuiusque gestu motuque de habitu animi coniecturam facere. Prætereuntem fortè cum hydria fœminam, nescio quo pacto oblitus mei, oculis curiosius contemplatus, impuram Thaidem aliquam iudicaui. Ex quo subita religione tactus ad eximendum ex animo scrupulum, tanquam fera hausto veneno ad fontem properans, Ioannem inquam religiosissimum Abbatem. &: pater, inquam, quî fit, vt ex aspectu & habitu corporis alterius, coniiciam de interiore statu mentis, & censeam vitam ipsius; quid est consilii? si, inquit Ioannes, ex ingenii & naturæ vitio, quod labore suo emendare studet asceta, fas non est arbitrari conscienti-

ſcientiam ipſius, nonne erit nefas ex vaniſſima ſuſpicionis coniectura alterius mentem malè interpretari? proinde tibi auctor ſum, vt nunquam te coniecturis huiuſcemodi committas. *Mendoſa amuſſis, etiam recta deprauat.* Vaniſſimæ ſunt, & pernicioſiſſimæ ſuſpiciones. Inſtructus ego hoc præcepto, coniecturis meis adeò fidem omnem abrogaui, vt ex auctoritate cogitationum mearum ægre ſolem ipſum crederem eſſe ſolem. Nihil ſuſpicionibus eſt peſtilentius quæ ſi paululū in mente hæreant, inducunt nos vt credamus ea nos oculis tetigiſſe, quæ nunquam & nuſquam facta ſunt, aut fuerunt. Accipe ex Dorothei tabulis ampliſſimum dicti teſtem, in cuius cœnobio fuit, qui morbo ſuſpicionum grauiter laborabat, nec facilè poterat vllis rationibus ab animi ſententia, quam ſemel imbiberat, deduci, ſiue æqua eſſet illa, ſiue iniqua, ita ſenſim ab architecto ſtropharum eſt deprauatus.

XI.

MONACHVS SVSPICIoſus.

CVſtos erat idem horti domeſtici, ne baccæ

baceæ aut poma furtim legerētur. Sanctissimi quadragintadialis ieiunii ipsa parasceues religiosissima dies vix dum illuxerat, cum ingressus viridarium intempestiuus obseruator, videre sibi visus est ex religiosa familia collegam clam ficus carpere & vorare; Ead: sanè luce ex more se ad cœlestem agnum in sanctissima Christi synaxi sumendū, omnes pro sua quisque pietate, componebant. Secutus ex occulto coniector suspiciosus, innocentissimum iuuenem in suspicione, imo oculis, vt putabat, positum, & furto ipso deprehensum notabat, an & ipse quem ficus iam absumsisse crediderat, de Eucharistia percipienda cogitaret. Quem vt manus lauare vidit, rem factam se habere arbitratus, curriculò ad cœnobiarcham properat, & anhelans: Pater, inquit, iste (certum indigetauit) hodie sub primam lucem ingressus pomerium, ficus decerpsit, & comedit, & iam ad sacrum Christi corpus accipiendum accedere cogitat, prohibe nefas, & à sacris furem & comedonem arce. Abit accusator. Antistes delatum magno cum sensu pietatis & religionis ad rem diuinam cernit adesse, & iam accedentem ad aram, euocat, seorsumque percontatus, quid eo die designasset? perturbatus ille tam inopinata

pinata quæstione, vbi, inquit, Pater? In sic-
to, ait Abbas, hodie bene mane cum hortũ
ingressus es; quid illic fecisti? Perculsus in-
nocens tam accurata percontatione. Do-
mine Pater, inquit, Ego hortũ hodie nun-
quã vidi, nec domi nostræ fui, modo reuer-
sus peregrè, nam ab Oeconomo secundum
vigilias illuc ad expediendum negotiũ mis-
sus iam nunc reuenio. Locus porro quo a-
mandatus erat, haud paucis passuum milli-
bus aberat: vnde ad ipsum prope punctum
temporis summa celeritate recurrerat. Præ-
ses ergo Monasterij è citato curatore quęrit,
an aliquò illũ, qui pauidus astabat, misisset;
affirmanti & veniam precanti, quod id in-
scio Patre, tam importuno tempore fecisset,
atque illius se vigiliis pepercisse excusanti, fi-
dem habuit antistes, vtrumque sancta pre-
catione impertitũ ad diuinum Christi epu-
lum dimisit, & delatorẽ vanissima suspicio-
ne laborantẽ grauissimis verbis increpuit,
& ab aris in illum diem proscripsit. Re de-
mum diuina, sacrisq; ceremoniis rite perpe-
tratis, coacto consilio ipse moderator Cœ-
nobii magna vi lacrimarum profusa, quæ
contigerant, exposuit, ac suspicioso delato-
re in reliquorum omnium cętum adducto,
grauissima oratione in impias incertissima-
rum

marum suspicionum cogitationes & coniecturas inuectus, artes improbissimas veteratoris cacodæmonis aperuit, reliquos à tam fœdo vitio omni ratione dehortatus, accusatorem pudore & rubore confusum à culpa expiauit. En tibi quo alienæ vitæ arbitrũ pertraxerint laquei suspicionũ. Raro leuem pariunt suspiciones risum, sæpius grauissimam indignationem, vltima & implacata odia, cædes familiarium & parricidia. quòd maximè inter coniuges historiæ non paucæ factum docent: quod enim inter illos zelotypia malum grauius cogitari potest, & quid illo inter eosdem vsitatius?

Sed omnem vincit improbitatem Iudæ secta latè sanè patens, & per longas sæculorum ætates ad vsque nostra tempora propagata, cum etiam rectè facta damnantur, & optimi à pessimis pessimè censentur.

XII.
STEPHANVS PRESbyter.

HVNC innocentissimum virum censuit germanus frater, cum ob extremum vitæ periculum & morbum capitalem iussu medentium carnibus vesceretur. *Ioannes Moschus in prato Spirituali, cap. 46.*

ceretur. Audiamus Moſchum rem commodè narrantem. Abbas Ioannes cognomento Molbas narrauit nobis de venerando ſene iſto B. Stephano presbytero, quod cum aliquando iecur illius grauiter infirmaretur, ex qua infirmitate, ſancta illa anima migrauit è corpore, coegerunt illum medici carnem manducare. Erat autem illi frater ſæcularis quidam, ſed valdè religiosè & ſecundum Deum viuens. Factum eſt autem cum carnes comederet presbyter, ſuperuenit frater eius ſæcularis, videnſque illum veſcentem carnibus, ſcandalizatus eſt, & valde contriſtatus, quod ex tanta abſtinenria, atque continentia in extremo vitæ ſuæ tempore ad comedendum carnes deuolutus eſſet. Mox ergo in extaſi factus, vidit quendam dicentem ſibi: quare ſic de presbytero ſcandalizatus es, quia illũ carnibus veſci vidiſti: Neſcis quia neceſſitate compulſus, & propter obedientiã hoc fecit? nempe propterea ſcandalizari non debuiſti: ſi enim merita & gloriam fratris t tui videre cupis, retro te conuerte, & vide. Conuerſuſque vidit fratrem ſuum crucifixum cum Domino, aitque ad eum is, qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus eſt, Hæc Moſchus; Vnde intelligis verè monitos eſſe nos ab optimo

optimo veritatis arbitro D. Paulo, ne is qui abstinet, iudicet, aut condemnet comedentẽ. Cruci autem cum Christo fixum fuisse Stephanum hunc, vita ipsa Stephani docet, cum à Christi in cruce pendentis cogitatione semper penderet: Ego, inquit, die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem.

XIII.

IVDAS ISCARIOTIS.

PEregre venerat cum discipulorum collegio Christus, Lazarum Marthę & Magdalenæ germanum quartum diem in conditorio sepulchri iacentem & olentem, remoto immani saxo, viuere iussit; reuixit toto mundo obstupescente, & cùm auctore vitæ à Simone ad cœnam inuitatus accubuit. Magdalena qua animi grati significatione tantum Christi Soteris beneficium reponeret dubia, quod optimum vitæ & paupertatis magistrũ nullum admittere precium auri, vel argenti sciret, officiosus tamen illius amor inuenit rationem, qua soteria domino persolueret. Arabicos liquores alabastrina gemma conditos, sub ipsum conuiuium velut ancilla infert, ad Christi caput accedit, fractaquè *Ioan. 11.*

pyxide pretiosissimum imbrem in seruatoris ceruicem effundit, ex quo gratissimi odoris fragrantia per totam domum dilata, ingratum quoque Iudæ caput afflauit, qui iratus non solum ipse contra sanctissimam Magdalenæ pietatem indignari, sed impiâ linguâ etiam plerosque cæteros in societatem sceleris vocare; stultè nempe factum, inanem esse auri profusionem; potuisse trecentis denariis, hoc est triginta aureis, vnguentum venire, & in egentes dispertiri. Quibus adeo omnium animos indignatione sceleratissimus fur & latro accendit, *vt fremerent in illam*, imò in ipsum Christum, cui illa benignè fecerat vt necesse fuerit ipsam ab optimo patrono defendi, rectè, sapienter & piè ab illa factum esse: semper enim pauperum copiam quibus si vellet, possent benefacere, habituros, sui se copiam breui nulli amplius facturum, quando per crucem ad patrem esset reuersurus. En scelestum censorem optimè facta pessimè interpretantem, non minus ac ille qui dixit, *in templo quid facit aurum?* Et tu Iuda, nam ad te appello, quamuis impium iudicem, sed tanta causæ est æquitas, vt vel te Prætore non dubitem vincere, dummodo mentem aduertas. Pauperibus vis tribui denarios: quis Christo magistro tuo omnium egens

Persius.

tum egentissimo pauperior? inspice stabula, & cunabula, in quibus primam lucis auram hausit; recognosce ipsius vitam totam, meministine ab illo dictum? *Vulpes foueas habent, & volucres nidos, filius autem hominis non habet quo reclinet caput suum.* Luc. 9. Sed Iudę exemplo multi hodie censent aliorum liberalitatem, cum vel ad sacram templi suppellectilem, vel religiosa cœnobia aliquid conferunt; fuisse eam pecuniam in Xenodochia & valetudinaria vtilius & sanctius impendendam. Cum autem per ludum & iocum, in ventrem & popinam & amphoras, auri vis ingens absumitur, nemo est qui queratur. In eadem fæce sunt, qui singularem aliorum pietatem, hypocrisin appellant, preces irrident, ieiunia carpunt, frequentem diuinorum mysteriorum vsurpationem, ne ipsi parum pij videantur, in reprehensionem vocant, perinde quasi accusando aliorum religionem, suam ipsi impietatem excusent.

Contra peruersum iudicandi censendiq; mores alienos, vsum, certissimum amuletũ est, vt *in tua conuertas conuersum viscera ferrũ*. Nõ vt corpus vulneres, sed mentis liberæ censuram improbam coërceas; vt si tibi de altero succurrat esse arrogantem, sibi nimium placentẽ, impurum, auarum, sordidum, stolidũ

& alia id genus, telum mox in te retorqueas, dicasque: Ego sum eiusmodi, ego is sum, quē alium esse iudico, quod de aliis vitium prædico, id mihi inest; ego insolens, qui mihi plus æquo sumo, qui mihi blandior, mihi arrideo superbus, alieni appetens: et si ea essem qua ille est libertate, in omne fas & nefas effusa quidquid vitij est, occultas sibi sedes in me fixisset. Et hoc vecordior peiórque, quod neque in me videam mala, quæ aliis inesse coniecto.

XIV.

S. FRANCISCVS.

IN S. Francisci actis traditum meminimus, beatum virum, cui verè simplex oculus erat, qui neminem obliquè intuebatur, cum socio in itinere in centunculatum pauperem incidisse, comitemq; Francisco dixisse: quid si hic simulat inopiam, & diues est? Franciscum tam ægris auribus iudicantis, aut suspicantis potius sententiam accepisse, vt illi extemplo præciperet; abiret recta ad mendicum, & positis humi genibus veniam suspicionis oraret, insuperq; nudum sua quam ferebat, veste tegeret. Tantum facinus iudica-

nie

uit innocens Franciſcus, alterius, innocentiam in ſuſpicionem vocare.

Nec facta quidem ipſa certam præſtare amuſſim alterius vel iudicandi, vel damnandi docet S. Siluani Pontificis & S. Hieronymi diſcipuli, exemplum. *Petrus de Natal. lib. 8. c. 10.*

XV.

S. SILVANVS.

ERat Siluanus hæreticorum terror, ac pæne alter Hieronymus, eóque nomine hoſtem veri, & architectũ mendacij dæmonem in ſe concitauit, qui ferre non poterat Sabinianum errorum nouorum conditorem à Siluano publico miraculo proſtratum. Vt ergo famam Sanctiſſimi Pontificis eliderer, os habitumque Siluani ſumpſit, & ad honeſtiſſimæ matronę lectum noctu irrepens cœpit illam ad adulterii flagitium inuitare. Illa pudoris & officij legiſque diuinæ memor, opem Domeſticorum inclamare, concurrente familia affirmare Domina, ingreſſum eſſe quempiam conclaue ſuum, veſtigarent omnes angulos. deprehenſum infra lecticam protrahunt, admotoque lumine cernunt & credunt ipſum eſſe Siluanum Epiſcopum; Quærentibus quid tantum facinus tentare

ſit auſus? Pſeudoſiluanus, verus dæmon fœda quædam & digna ſuis ſordibus effutiit, ſe vocatum à Domina & vltro inuitatum. Quę ad infamiam ſancti viri & inuidiam augendam inſidiator finxit. Fœmina porro reclamante, & ſexcenta in illum conuitia retorquente, à ſeruis familiarib⁹ protruſus, & verberibus mulctatus in viam è domo eſt exturbatus. Poſtera luce, ſceleris tẽtati rumore per omnem vrbem dilato, populoq; in pontificẽ furente, dignum eſſe vltimo ſupplicio, dignumq; qui vltricib⁹ flammis viuus vidensq; concremetur. Miratus Siluanus mali artificis artes, quamuis ſibi præclarè conſcius, innocenſq;, tamẽ furori plebis ad tempus cedendũ putauit, quod res artificio mali veteratoris concinnata, à ſe non niſi cæleſti ſuffragio poſſet dilui. Profect⁹ ergo ad aſylum, D. Hieronymi inquam, quod Bethlemij eſt, ſepulchrum, ſupplex procumbens magiſtro optimo nõ malus diſcipul⁹ cauſſam ſuſcipiendã, defendendamq; commendauit. Vertente anno, ciuis quidã Nazarenus cum ſodalibus eo delatus vidit Siluanum ad S. Hieronymi cineres ſupplicantẽ, illicoq; in illum telo obtruncaturus incurrit, ſed Epiſc. opem S. Hiero. inclamante, alter retorto in ſe ferro occubuit; atq; deinceps alter atq; tertius pari le-

tho

tho occidere. Quartus pro forib' templi ingenti clamore turbas ciet, adesse Siluanũ, prę-stigiatorē, sicariũ, adulterum. Captus à furiosa populi fæce Pontifex, dum ad supplicium rapitur, palam spectantibus cunctis prodit è tumulo ipse S. Hieronymus, & dextra prensum Siluanũ è populi sęuientis tumultu educit. Trahebatur eodē tempore occupata ab inferno hospite fæmina ad S. Hieronymi corpus, cui ipse præsens & spectabilis Hieronymus imperauit, vt ex aliena possessione mox cederet, & palam testaretur, quæcunq; in Siluanũ esset molitus. Qui dicto citius deserta muliere, astitit alter Siluanus, tã vero similis, quã ipse mēdax erat, vt nemo posset arbitrari vter ver' esset pōtifex, vel pseudosiluanus, professusq; eundē se esse, qui indutus speciē Siluani, matronam Nazarethanã ad adulterium solicitasset, eoq; se id animo fecisse, vt inuiso sibi Episcopo odium populi conflaret, vt infamia publica notat' à sui muneris functione impediretur, vnaq; cum dicto vanus in fumũ, & vanas euanuit auras, tenente interim Hieronymo Siluanũ & rogãte, ecquid aliud à se flagitaret? Siluan' optimũ ratus fore, vt quaprimũ ex tot malis vitæ præsentis eriperetur, petiit è custodia corporis expediri; ac Hieronymũ ex oculis subductũ post horã

discipulus Magistrum est sequutus. Quod populus spectans ad corporis reliquias accidens, veniam errori petiit, suumque pontificem lætus Nazarethũ reportauit, summaq; veneratione coluit. Audin' lector, nec oculis *quamuis fidelibus* semper credendum præstigiis dæmonum (quod aliæ atque aliæ historiæ docent) obnoxiis. Nam eadem arte Dæmonis factum est, vti S. Henricus imperator in suspicionem coniiceretur de violato à S. Kunigunde imperatrice, & intacta coniuge, thoro. Sic enim de ea re apud Auctorẽ compilationis chronologicæ, & Iac. Gretserũ ad Cap. 2. de vita S. Kunegundis scriptum meminimus: *Auctore Diabolo, qui inuidebat eius virginitati, de crimine adulterij vehementer infamata est. Callidus namq; Diabolus transfiguratus est in formam militis speciosi tribus diebus continuis mane videbatur pluribus exire de thalamo S. Kunegundis.* Hanc ergo infamiam & conceptam de se suspicionem resignatæ virginitatis coacta, est sancta & illibata virgo exploratricibus fidei & virginitatis flammis, in accensis candentibusque ferramentis vomerum delere.

DE

DE ACCVSATIONE SVI ET ALTERIVS EXCVſatione.

CAPVT II.

QVi familiari conſuetudine quorumcunque ſiue propinquorum, ſiue amicorum impenſius delectantur, etiam vitiis eorum non tam grauiter offenduntur, quin illis velum obtendant, & velut aduocati culpas quibuscunque poſſunt rationibus eleuent extenuentque, non ſecus ac parentes diſtortam male natorum naturam excuſant, quemadmodum Venuſinus canit:

At pater vt gnati, ſic nos debemus amici
Si quod ſit vitium, non faſtidire; ſtrabonem
Appellat pætum pater: & pullum male paruus
Si cui filius eſt: vt abortiuus fuit olim
Siſyphus: hunc varum diſtortis cruribus, illum
Balbutit ſcaurum prauis fultum male talis.
Parcius hic viuit, frugi dicatur; ineptus
Et iactantior hic paullo eſt, concinnus amicis
Poſtulat vt videatur. at eſt truculentior atq;
Plus æquo liber, ſimplex fortiſq; habeatur,

Horatius Serm. 1. Sat. 3.

Caldior est, acres inter numeretur. opinor
Hæc res & iungit, iunctos & seruat amicos.

De ira. l. 2. 130. Idem latinæ sapientiæ conditor Seneca docet: *In his,* inquit, *naturam excusemus, voluntatemq; facientium. Puer est* (qui peccauit) *ætati donetur, nescit an peccet. Pater est: aut tantum profuit, vt illius iam iniuria ius sit: aut fortasse ipsum hoc meritum eius est quo offendimur. Mulier est, errat. Seruus: Iussus est, necessitati quis nisi iniquus succenset?* Læsus est; *non est iniuria pati, quod prior feceris, &c.*

Sed nos virtutes ipsas inuertimus, atq;
Sincerum cupimus vas incrustare. probus quis
Nobiscum viuit, multum demissus homo illi
Tardo cognomen pingui damus.

Simplicior si quis-----
Communi sensu planè caret inquimus. Eheu
Quam temerè in nosmet legem sancimus iniquam!

Humanè igitur & piè cum sapientissimo, ac fortissimo principe Constantino facit, qui aliena vel tacet, vel dissimulat, vel tegit, vel Terent. excusat, vt ille Mitio apud Comicū. Et amat æquitas numinis hoc genus innocentium per se tueri, illorumq; caussam, suam arbitrari, vt ex subiectis piorum historiis apparebit.

PAFNVTIVS ADOLESCENS innocens furti postulatus, se non excusat, sed tãquam reus veniam orat.

I.

MAgnus auctor, & multorum sæculorũ fide certus, de Pafnutio propemodum ephebo narrat, quanta inter eremi cultores constantia virtutéque vixerit, vt natu iam grandes Patres illum in consilium seniorum admittere non dubitarint. Quod adeò torsit vicini oculum iuuenis, vt illi turpissimam furti maculam impingere non vereretur, sed quomodo illam Pafnutius agnoscendo magis quam negando expunxerit, exponit Cassianus: Cassian. Ex Cassian.

Itaq; cum tantæ in pueritia sua esset virtutis & gratiæ: vt etiam prçclari ac summi id temporis viri grauitatẽ eius & immobilẽ constantiã mirarentur, cumq; licet minor esset ętate, pro virtutũ tamẽ merito senioribus exæquarẽt, suoq; ordini ducerent inserẽdum: liuor ille qui aduersum Ioseph

patri-

patriarcham fraternos quondam animos instigauit, quendam de numero fratrum zeli igne succendit. Qui neuo quodam ac macula pulchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, vt oportunitatem temporis captaret, quo Pasnutius ad Ecclesiam die dominico processurus abesset à cella. In quã furtim irruens, codicem suum inter eius plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit: ac de concinnata factione securus, ipse quoq; velut puræ ac simplicis conscientiæ ad Ecclesiam venit. Cumq; celebrata omnis fuisset ex more solemnitas, querelam Sancto Isidoro, qui ante hunc Pasnutium eiusdem eremi presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit: asserens sibi codicẽ de cella furto fuisse sublatum. Quæ eius querimonia cum ita cunctorum fratrum, præcipueq; presbyteri animos permouisset, vt quid primùm

suspi-

ſuſpicarentur, quidúe decernerent non haberent: ſumma cunctis admiratione percuſsis, de tam inauditi illic facinoris nouitate: ille qui rem detulerat accuſator vrgebat, vt retentis in Eccleſia omnibus, miſſi electi, quique cunctorum ſingillatim fratrum cellulas ſcrutarentur. Quod cum tribus ſenioribus à presbytero fuiſſet iniunctum, vniuerſorum cubilia reuoluentes, ad extremum in Paſnutij cellula abſconditum codicem inter plectas palmarum, quas illi ſiras vocant, ſicut eum inſidiator occuluerat, repererunt. Quem cum inquiſitores confeſtim ad Eccleſiam delatũ coram omnibus protuliſſent: Paſnutius, licet de conſcientiæ ſuæ eſſet ſinceritate ſecurus, tamen velut qui furti crimen agnoſceret, ſatisfactioni ſe totum tradens, locum pœnitentiæ ſuppliciter poſtulauit: hoc verecundiæ ſuæ modeſtiæq; proſpiciens, ne ſi maculam furti verbis conaretur ab-

luere

luere, insuper etiam mendacij notaretur, nemine scilicet aliud, quam id quod inuentũ fuerat, suspicante. Cũque de Ecclesia nõ tam mente deiect⁹ quam iudicio Dei fidens protinus abscessisset, profusus in oratione iugiter lacrimis, triplicatisq; ieiuniis, summa se etiam in conspectu hominum mẽtis humilitate prostrauit. Sed cum duabus ferme hebdomadibus ita se omni contritione carnis ac spiritus subiecisset, vt die sabbathi, vel dominico, nõ ad percipiendã communionem sacram, sed ad prosternendũ se in limine Ecclesiæ, atq; ad veniã suppliciter postulandam matutinus accurreret, nequaquam passus est eum occultorum omnium testis, & cognitor vel à se amplius conteri, vel ab aliis infamari. Nam quod ille inuentor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste occulte cõmiserat, per diabolũ, qui criminis ipsius inuentor

fuerat

fuerat, publicauit. Arreptus namq; à dirissimo dæmone, cunctas factionis occultæ patefecit insidias: criminationumq; ac fraudũ idem fuit proditor qui commentor. Ita autẽ spiritu illo immundo grauiter diuque vexatus est, vt ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui diuinorum charismatum merito dæmoniis imperabant, potuerit emundari; sed ne ipsius quidẽ Isidori presbyteri gratia singularis, crudelissimum ab eo excluserit veteratorem, cui tanta erat virtus domini largitate collata, vt ne vsque ad limina quidem eius, quisquam arreptitius, qui tardius sanaretur, aliquando perductus sit: Christo hanc adolescenti Pafnutio gloriam reseruante, vt illius tantum orationibus cui insidiatus fuerat, purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere se posse crediderat, ei' nomẽ proclamans & delicti sui veniã, & finẽ supplicij præsentis acciperet.

Hæc

luere, insuper etiam mendacij notaretur, nemine scilicet aliud, quam id quod inuentũ fuerat, suspicante. Cũque de Ecclesia nõ tam mente deiect⁹ quam iudicio Dei fidens protinus abscessisset, profusus in oratione iugiter lacrimis, triplicatisq; ieiuniis, summa se etiam in conspectu hominum mẽtis humilitate prostrauit. Sed cum duabus ferme hebdomadibus ita se omni contritione carnis ac spiritus subiecisset, vt die sabbathi, vel dominico, nõ ad percipiendã communionem sacram, sed ad prosternendũ se in limine Ecclesiæ, atq; ad veniã suppliciter postulandam matutinus accurreret, nequaquam passus est eum occultorum omnium testis, & cognitor vel à se amplius conteri, vel ab aliis infamari. Nam quod ille inuentor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste occulte cõmiserat, per diabolũ, qui criminis ipsius inuentor

fuerat

fuerat, publicauit. Arreptus namq; à dirissimo dæmone, cunctas factionis occultæ patefecit insidias: criminationumq; ac fraudũ idem fuit proditor qui commentor. Ita autẽ spiritu illo immundo grauiter diuque vexatus est, vt ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui diuinorum charismatum merito dæmoniis imperabant, potuerit emundari; sed ne ipsius quidẽ Isidori presbyteri gratia singularis, crudelissimum ab eo excluserit veteratorem, cui tanta erat virtus domini largitate collata, vt ne vsque ad limina quidem eius, quisquam arreptitius, qui tardius sanaretur, aliquando perductus sit: Christo hanc adolescenti Pafnutio gloriam reseruante, vt illius tantum orationibus cui insidiatus fuerat, purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere se posse crediderat, eius nomẽ proclamans & delicti sui veniã, & finẽ supplicij præsentis acciperet.

Hæc

Hæc ergo illa in adoleſcentia ſua futuræ indolis iam tunc indicia præfigurans, lineas quaſdam perfectionis illius quæ erat maturitate ætatis augenda, adhuc in annis puerilibus deſignauit. Si igitur ad culmen virtutū eius volumus peruenire, talia nobis exordiorum fundamenta iacienda ſunt. Quid potuit hoc facto Pafnutij fieri illuſtrius? Adamus ipſe poſt fatalis mali guſtum, ſi à Deo violatæ legis accuſatus, delictum ſupplex agnouiſſet, pacemq; oraſſet, tam graui pœna nunquam plexus eſſet, ſed quia culpam obliquè in ipſum auctorem legis transferre conatus dixit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi*, ac ſi diceret: Tu ipſe peccati mei maximus auctor es, qui mihi Euam ſociam vitæ dediſti, abſque qua fuiſſet, nunquam pomum contigiſſem. Ita infelix Adam facinus quod deprecando mitigare debebat, excuſando ſe, Deumque ipſum accuſando opere maximo cumulauit. De qua re copioſe S. Gregorius (lib. 22. Moral. c. 13.) cuius verba adnumero: Qui cum argueretur à Domino, quod de ligno vetito contigiſſet, illico reſpondit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, ipſa mihi dedit de ligno & comedi:*

Gen. 3.

comedi. Ipſa quoque mulier inquiſita, reſpondit dicens: *ſerpens decepit me, & comedi.* Ad hoc quippe requiſiti fuerant, vt peccatum, quod transgrediendo commiſerant, confitendo delerent. Et mox infra idem Gregorius: Cumque excuſare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per ſerpentem; auxerunt culpam, quam tueri conati ſunt: obliquè Adam Dominum tangens, quod ipſe eorum auctor extiterit, qui mulierem fecit: Et Eua culpam ad Dominum referens, qui ſerpentē in paradiſo poſuiſſet. Concludit S. Gregorius poſt pauca: Sic ergo reatum ſuum, dum defendere moliuntur, addiderunt vt culpa eorum atrocior diſcuſſa fieret, quam fuerat perpetrata. *Legat. & S. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 14.*

Credo ego à nulla alterius accuſatione, ſicut & in ſui excuſatione, orationis abeſſe vanitatem & mendacium, ſed inter vera ſemper aliquid falſi aſpergi, quod inſignitè Dorotheus doctrina de mendacio confirmat: cum accuſatur pigritiæ, neglector nocturnarum precum, rogaturque quid ſolus abfuerit à ſacris vigiliis? non accuſat ſuam inertiam aut ſomnolentiam, nec veniam deſidiæ petit, ſed febri, inquit, tentatus (acri nempe ſocordiæ) & vertigine capitis, viribus defectus, caput dolens κακοστόμαχος decubui, & alia

 ſexcen-

ſexcenta mendaciſſimus excuſat, ne rem faſſus, noxiam leui pœna expiare cogatur. Luet verò nocens iſte, luet, & multo grauius olim luet, niſi maturè ſibi numen lacrimarum flumine propitiarit. Quam verè pater ille rogatus, quæ via recta duceret ad ſalutem? ſuiipſius, inquit, aſſidua reprehenſio, acclamatum eſt ab omnibus vt ſapientiſſimo veriſſimoque dicto. Nec falſo Paſtor totum virtutum chorum ad vnius domum, quæ ſui eſſet accuſatio, commigraſſe. Nam vbi teipſum ex animo culpaueris, faſtum extemplo occidis, & gratiſſimam Deo modeſtiam tibi concilias, quæ velut hoſpita virtutum, vti ferrum magnes ad ſe totum hoc gynæceum Charitum, & cœleſtium Gratiarum trahit ac inuitat; vſqueadeo inimica ſuperbo numinis hoſti, & Acheruntico tyranno, vt præſentiam illius nõ minus ferre quàm ipſius Dei poſſit.

II.

PRoinde in religioſis Patrum veterum memoriis perſcriptum legimus, rogatum ex anachoretis à malo genio (qui corpus infelicis homuncionis inſederat) qui eſſent in beatorum cenſum aſcribendi, & qui in damnatorum? ſeipſum mox incuſans, Beatos, inquit, nouit beatitatis auctor, inter dãnatos mea me peccata meritò ponunt. Ob hanc

hanc submissionis, inquit, tuæ vocem, cedo loco; nec moratus punctum temporis, fugit ex aliena possessione, & hominem Deo liberum reliquit. Sed hoc plenius ca. 7. Nec ob- *Luc. 18.*
scurum est, Euangelicum Publicanum suam indignitatẽ agnoscentem, seipsum inter postremos collocantem, noxas condemnantem, nec lumina ad cæli splendorem tollere audentem, sed assidue pectus manibus plangentem omnium culparum veniam vnico momento impetrasse; cum huius contemptor Pharisæus eodem tempore omni cælestium gratiarum copia sit exutus, vti supra memoratum.

III.

ATque vti flectit iram supremi iudicis, qui seipsum iudicat, & dignum vltimis suppliciis agnoscit, ita efferas quoque mentes mortalium sedat, & tanquam affusa vnda omnem iræ tumorem deiicit ac placat, cum alter altercanti alteri cedit, veniamq; rei modo rogat, de quo illustris est apud Io. Moschum historia, de duobus quibusdã pontificibus, quorum alter potens, callidus, gloriosus; alter pacatus, tenuis, modestus, quẽ ille vastus & magnificus põtifex magnopere premebat, nec caussam altercationis ad æquam sententiam lege perduci sinebat. Tum ille

inferior non virtute, sed opibus & potentia, ad domesticos suos: *Inueni*, inquit, *viam qua vincemus, adeste & quod à me fieri cernetis & vos facitote.* Agitabatur dies Martyri sanctior, quo cum magna pompa in supplicationem proditurum sciebat antagonistam afflictus præsul. Frequentissimo igitur populo dum Antistes sacro & pontificio cultu in publicum procedit, alter cum toto suo mystarum comitatu ad illius pedes se prouoluit, veniam vti reus precatur, seruum se illius & suos omnes agnoscit & fatetur. Attonitus alter hoc tam inexpectato, paris alioqui dignitate põtificis, exemplo, mox & ipse oblitus sui & omni insolentia fastus abiecta in genua procumbit, &: *ignosce Pater*, inquit, *me par erat tibi supplicem fieri, & veniam contumaciæ precari, sed vicisti, & me quid officii mei sit optima ratione docuisti. Tu mihi deinceps loco patris & moderatoris & doctoris eris.* Ita arctissimè inter hos amicitia, modestia sequestra & interprete coaluit, nunquam ab eo tempore dissoluta.

IV.

MEmini me legere nobilem sui accusandi formulam apud religiosissimum anachoretarum patrem & magistrum Isaiam Abbatem, quam ad vsum nostrũ iuuat huic

loco

loco adſcribere, eſt enim quaſi ſpeculum quoddam, in quo ſe quiſque & labes ſuas, ac notas animi, maculaſque conſcientiæ deprehenſas recognoſcet. Væ nobis, *inquit*, qui in hoc exiguo vitæ ſpacio voluptati dediti ſumus, qūia, vt iniquæ & breui carnis cupiditati ſatisfaciamus, nos iucundiſſimo diuinæ gloriæ ſpectaculo indignos cōſtituimus. Væ nobis quia corruptio incorruptionem non poſſidebit. Et nos, incorruptione contempta, corruptionis cupidine furimus & inſanimus. Væ nobis qui carnem noſtram, quæ in putredinem eſt reſoluenda, & vermium eſca futura, in peccatis fouemus & enutrimus, nec ignem, in quo ſumus perpetuò excruciandi, nec vermem, qui nunquam dormit, extimeſcimus. Væ nobis, quorum corpus immunditiis coinquinatum homines pij colunt & deoſculantur, cum tamen ſimus ſepulchra dealbata, & mortiferum peccatum redoleamus. Væ nobis qui per in-

Iſaiæ Abbatis accuſatio.

patriarcham fraternos quondam animos instigauit, quendam de numero fratrum zeli igne succendit. Qui neuo quodam ac macula pulchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, vt opportunitatem temporis captaret, quo Pasnutius ad Ecclesiam die dominico processurus abesset à cella. In quã furtim irruens, codicem suum inter eius plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit: ac de concinnata factione securus, ipse quoq; velut puræ ac simplicis conscientiæ ad Ecclesiam venit. Cumq; celebrata omnis fuisset ex more solemnitas, querelam Sancto Isidoro, qui ante hunc Pasnutium eiusdem eremi presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit: asserens sibi codicẽ de cella furto fuisse sublatum. Quæ eius querimonia cum ita cunctorum fratrum, præcipueq; presbyteri animos permouisset, vt quid primùm

suspi-

ſuſpicarentur, quidúe decernerent non haberent: ſumma cunctis admiratione percuſsis, de tam inauditi illic facinoris nouitate: ille qui rem detulerat accuſator vrgebat, vt retentis in Eccleſia omnibus, miſſi electi, quique cunctorum ſingillatim fratrum cellulas ſcrutarentur. Quod cum tribus ſenioribus à presbytero fuiſſet iniunctum, vniuerſorum cubilia reuoluentes, ad extremum in Paſnutij cellula abſconditum codicem inter plectas palmarum, quas illi ſiras vocant, ſicut eum inſidiator occuluerat, repererunt. Quem cum inquiſitores confeſtim ad Eccleſiam delatū coram omnibus protuliſſent: Paſnutius, licet de conſcientiæ ſuæ eſſet ſinceritate ſecurus, tamen velut qui furti crimen agnoſceret, ſatisfactioni ſe totum tradens, locum pœnitentiæ ſuppliciter poſtulauit: hoc verecundiæ ſuæ modeſtiæq; proſpiciens, ne ſi maculam furti verbis conaretur ab-

luere

luere, insuper etiam mendacij notaretur, nemine scilicet aliud, quam id quod inuentũ fuerat, suspicante. Cũque de Ecclesia nõ tam mente deiect⁹ quam iudicio Dei fidens protinus abscessisset, profusus in oratione iugiter lacrimis, triplicatisq; ieiuniis, summa se etiam in conspectu hominum mẽtis humilitate prostrauit. Sed cum duabus ferme hebdomadibus ita se omni contritione carnis ac spiritus subiecisset, vt die sabbathi, vel dominico, nõ ad percipiendã communionem sacram, sed ad prosternendũ se in limine Ecclesiæ, atq; ad veniã suppliciter postulandam matutinus accurreret, nequaquam passus est eum occultorum omnium testis, & cognitor vel à se amplius conteri, vel ab aliis infamari. Nam quod ille inuentor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste occulte cõmiserat, per diabolũ, qui criminis ipsius inuentor

fuerat

fuerat, publicauit. Arreptus namq; à dirissimo dæmone, cunctas factionis occultæ patefecit insidias: criminationumq; ac fraudũ idem fuit proditor qui commentor. Ita autẽ spiritu illo immundo grauiter diuque vexatus est, vt ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui diuinorum charismatum merito dæmoniis imperabant, potuerit emundari; sed ne ipsius quidẽ Isidori presbyteri gratia singularis, crudelissimum ab eo excluserit veteratorem, cui tanta erat virtus domini largitate collata, vt ne vsque ad limina quidem eius, quisquam arreptitius, qui tardius sanaretur, aliquando perductus sit: Christo hanc adolescenti Pafnutio gloriam reseruante, vt illius tantum orationibus cui insidiatus fuerat, purgaretur, & cuius laudi aliquid inuidus inimicus decerpere se posse crediderat, ei nomẽ proclamans & delicti sui veniã, & finẽ supplicij præsentis acciperet.

Hæc

Hæc ergo illa in adoleſcentia ſua futuræ indolis iam tunc indicia præfigurans, lineas quaſdam perfectionis illius quæ erat maturitate ætatis augenda, adhuc in annis puerilibus deſignauit. Si igitur ad culmen virtutũ eius volumus peruenire, talia nobis exordiorum fundamenta iacienda ſunt. Quid potuit hoc facto Paſnutij fieri illuſtrius? Adamus ipſe poſt fatalis mali guſtum, ſi à Deo violatæ legis accuſatus, delictum ſupplex agnouiſſet, pacemq; oraſſet, tam graui pæna nunquam plexus eſſet, ſed quia culpam obliquè in ipſum auctorem le-
Gen. 3. gis transferre conatus dixit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno & comedi*, ac ſi diceret: Tu ipſe peccati mei maximus auctor es, qui mihi Euam ſociam vitæ dediſti, abſque qua fuiſſet, nunquam pomum contigiſſem. Ita infelix Adam facinus quod deprecando mitigare debebat, excuſando ſe, Deumque ipſum accuſando opere maximo cumulauit. De qua re copioſe S. Gregorius (lib. 22. Moral. c. 13.) cuius verba adnumero: Qui cum argueretur à Domino, quod de ligno vetito contigiſſet, illicò reſpondit: *Mulier quam dediſti mihi ſociam, ipſa mihi dedit de ligno & comedi.*

comedi. Ipsa quoque mulier inquisita, respondit dicens: *serpens decepit me, & comedi.* Ad hoc quippe requisiti fuerant, vt peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Et mox infra idem Gregorius: Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem; auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: obliquè Adam Dominum tangens, quod ipse eorum auctor exiterit, qui mulierem fecit: Et Eua culpam ad Dominum referens, qui serpentē in paradiso posuisset. Concludit S. Gregorius post pauca: Sic ergo reatum suum, dum defendere moliuntur, addiderunt vt culpa eorum atrocior discussa fieret, quam fuerat perpetrata.

Legat. & S. August. de ciuit. Dei lib. 14.

Credo ego à nulla alterius accusatione, sicut & in sui excusatione, orationis abesse vanitatem & mendacium, sed inter vera semper aliquid falsi aspergi, quod insignitè Dorotheus doctrina de mendacio confirmat: cum accusatur pigritiæ, neglector nocturnarum precum, rogaturque quid solus abfuerit à sacris vigiliis! non accusat suam inertiam aut somnolentiam, nec veniam desidiæ petit, sed febri, inquit, tentatus (acri nempe socordiæ) & vertigine capitis, viribus defectus, caput dolens κακοσόμαχος decubui, & alia

ſexcenta mendaciſſimus excuſat, ne rem faſ-ſus,noxiam leui pœna expiare cogatur. Luet verò nocens iſte,luet, & multo grauius olim luet,niſi maturè ſibi numen lacrimarum flu-mine propitiarit. Quam verè pater ille roga-tus,quæ via recta duceret ad ſalutem? ſuiipſi-us,inquit, aſſidua reprehenſio, acclamatum eſt ab omnibus vt ſapientiſſimo veriſſimo-que dicto. Nec falſo Paſtor totum virtutum chorum ad vnius domum, quæ ſui eſſet ac-cuſatio,commigraſſe. Nam vbi teipſum ex animo culpaueris, faſtum extemplo occidis, & gratiſſimam Deo modeſtiam tibi concili-as,quæ velut hoſpita virtutum, vti ferrum magnes ad ſe totum hoc gynæceum Chari-tum, & cœleſtium Gratiarum trahit ac inui-tat;vſqueadeo inimica ſuperbo numinis ho-ſti, & Acheruntico tyranno, vt præſentiam illius nõ minus ferre quàm ipſius Dei poſſit.

II.

PRoinde in religioſis Patrum veterum memoriis perſcriptum legimus, roga-tum ex anachoretis à malo genio (qui cor-pus infelicis homuncionis inſederat) qui eſ-ſent in beatorum cenſum aſcribendi, & qui in damnatorum?ſeipſum mox incuſans,Bea-tos,inquit, nouit beatitatis auctor, inter dã-natos mea me peccata meritò ponunt. Ob

hanc

hanc submissionis, inquit, tuæ vocem, cedo loco; nec moratus punctum temporis, fugit ex aliena possessione, & hominem Deo liberum reliquit. Sed hoc plenius ca. 7. Nec obscurum est, Euangelicum Publicanum suam indignitaté agnoscentem, seipsum inter postremos collocantem, noxas condemnantem, nec lumina ad cæli splendorem tollere audentem, sed assidue pectus manibus plangentem omnium culparum veniam vnico momento impetrasse; cum huius contemtor Pharisæus eodem tempore omni cælestium gratiarum copia sit exutus, vti supra memoratum. *Luc. 18.*

III.

ATque vti flectit iram supremi iudicis, qui seipsum iudicat, & dignum vltimis suppliciis agnoscit, ita efferas quoque mentes mortalium sedat, & tanquam affusa vnda omnem iræ tumorem deiicit ac placat, cum alter altercanti alteri cedit, veniamq; rei modo rogat, de quo illustris est apud Io. Moschum historia, de duobus quibusdá pontificibus, quorum alter potens, callidus, gloriosus; alter pacatus, tenuis, modestus, qué ille vastus & magnificus pótifex magnopere premebat, nec caussam altercationis ad æquam sententiam lege perduci sinebat. Tum ille

loco adſcribere, eſt enim quaſi ſpeculum quoddam, in quo ſe quiſque & labes ſuas, ac notas animi, maculaſque conſcientiæ deprehenſas recognoſcet. Væ nobis, *inquit*, qui in hoc exiguo vitæ ſpacio voluptati dediti ſumus, qu͞ia, vt iniquæ & breui carnis cupiditati ſatisfaciamus, nos iucundiſſimo diuinæ gloriæ ſpectaculo indignos cõſtituimus. Væ nobis quia corruptio incorruptionem non poſſidebit. Et nos, incorruptione contempta, corruptionis cupidine furimus & inſanimus. Væ nobis qui carnem noſtram, quæ in putredinem eſt reſoluenda, & vermium eſca futura, in peccatis fouemus & enutrimus, nec ignem, in quo ſumus perpetuò excruciandi, nec vermem, qui nunquam dormit, extimeſcimus. Væ nobis, quorum corpus immunditiis coinquinatum homines pij colunt & deoſculantur, cum tamen ſimus ſepulchra dealbata, & mortiferum peccatum redoleamus. Væ nobis qui per in-

Iſaiæ Abbatis accuſatio.

intemperantiam & delicias epularũ ſemen in nobis adaugemus, & idcircò ad nefarias corporum mixtiones incitamur. Væ nobis, qui mortalitatem cum immortalitate non comparamus, & diuinam ac formidandã rectitudinem negligimus. Væ nobis, qui pigri tardique ſumus ad bona, promti autem & alacres ad mala. Væ nobis, qui corpus noſtrum, capax æternæ lucis, tenebris addicimus ſempiternis. Væ nobis, quia Filius hominis, qui eſt eiuſdem eſſentiæ cum Deo & Patre, pro nobis factus homo, nõ habet apud nos, vbi caput reclinet; cum vulpes, hoc eſt, aſtuti atque improbi ſpiritus ſuas in nobis ſedes ſtruxerunt. Væ nobis, quia recti corde animas puras & corpora ſua ſancta & ſine macula ſiſtent ante iudicem: nos autem impuras animas & immunda corpora habentes, æterni ſupplicij ſententiam audiemus. Væ nobis, qui cum omni-

am de-

um dedecorum & flagitiorum ſimus ſtudioſi, honorem & gloriam Sanctorum flagitamus. Væ nobis, qui cum damnati ſimus, & multis peccatis obnoxij, tanquam liberi atque inſontes in medio ſanctorum & innocentium verſamur. Væ nobis, qui cum ſimus erroribus pleni, eos, qui nobis multo meliores præſtantioreſq; ſunt, monemus & inſtituimus. Væ nobis, qui trabem habentes in oculo, quàm minimas fratrum feſtucas acutè cernimus & iracundè volumus excutere, tanquam nihil in nobis ſit, quod egeat reprehenſione. Væ nobis, qui grauia fratribus onera atque intolerabilia imponimus, cum ea nos tanquam corpore imbecilliores, ne digito quidem velimus attingere. Væ nobis, qui cum diuina & monaſtica miniſteria recuſcemus, alios, quæ ſint excolendæ Virtutis officia, docere non erubeſcimus. Væ nobis, qui non ſolum veterum peccatorum obli-

uiſcimur, ſed recentia depellere, & lacrimis diluere negligimus. Væ nobis, qui cum Dei auxilio & gratia recte viuendi fundamenta iecerimus, nunc ea quæ carnis ſunt ſuperſtruimus. Væ nobis, qui malis cogitationibus ita delectamur, vt peccata quæ deſpeximus, memoria repetamus. Væ nobis, qui in edendo bibendoq; non præuidemus, quod nobis è crapula bellum oriatur. Væ nobis, quos Diabolus, dum libidinis ſuggerit cogitata, imparatos & conſentientes offendit. Væ nobis qui neglecto diuinarum precum, & ſacræ lectionis ſtudio in nugis, & rebus inutilibus dies noſtros conſumimus. Væ nobis, quorum adeo cæca ſunt corda, vt dum lugendis peccatis noſtris debemus incumbere, inertia atq; otio torpeſcamus. Væ nobis, qui, cum Deus dicat: Anima quæ peccauerit ipſa morietur: eius aſſiduè peccantis nullam curam gerimus. Væ nobis qui corpus

noſtrum

nostrum ad peccata procliue ciborũ copia & deliciis ad impuras cupiditates & immundas cogitationes impellimus,& improbi hostis iacula, per oculos in cor admittimus,& corporũ tactu equi furentes euadimus, neque dignitatis nostræ, neque æterni supplicij rationem vllam habemus. Væ nobis, qui corporis morbos & dolores tam facile sentimus,in animæ autem ægritudinibus,& vulneribus grauissimis caremus omni sensu. Væ nobis quia princeps animæ pars, carni, quæ ancilla est,seruit,& pars deterior imperat præstantiori, neque ambæ concordes atque vnanimes procreatori suo seruiunt Deo. Væ nobis in quos peccata malis & immundis cogitationibus debacchantur, neque nos inter Dei discessum,& impurorũ spirituum accessum sinunt discernere. Væ nobis, qui tam stulti sumus atque imprudentes,vt cum laudes sanctorum aucupemur, opera tamen &

actiones eorum nolumus imitari. Væ nobis, qui neque seruorum metum, neq; mercenariorum studium, neq; amorē filiorum in exequendis diuinis mandatis exhibemus. Væ nobis, qui cum pro ineunda hominum gratia nihil aut loqui, aut facere recusemus, iustitiam negligimus & æquitatem. Væ nobis, quos æternum dedecus nihil mouet, & respect⁹ hominū etiam ad peccandū impellit. Væ nobis, qui cum è pauperibus & obscuris orti parentib⁹ simus, nosmetipsos ignoramus, & paupertatis & ignominię studium professi, inter opulentos & claros viros numerari contendimus. Væ nobis, qui paupertate coacti temperantiam in mundo complectimur, nunc autē ad abstinentiam vocati, saturitatē ventris, & carnis requiē summo studio consectamur. Væ nobis, qui cum Angeli ad eos, qui Deum timent, sese adiungant, & Dæmones ad illos, qui Deum spernunt, mandataq;
eius

eius negligunt, accedant, nos societati Dæmonum adscribimus. Vę nobis, qui diuitibus & potentibus placere studemus, pauperes autem & supplices tanquam importunam turbam auersamur. Væ nobis, qui non ex virtute homines, sed ex opinione pendimus. Væ nobis, cui quæ iusta bonaque sint definimus, & iudicamus, & docemus; à iustis autem & bonis operibus absumus quam longissimè. Væ nobis, qui terram à lappis & tribulis, & spinis cæterisque frugum pestibus diligenter purgamus: animam autem nostram à prauis & immundis cogitationibus, quæ sanctos Virtutum fructus excutiunt ac perdunt, Dei timore purgare contemnimus, Væ nobis, qui tãta sollicitudine tamdiu torquemur, vt caducum aliquid percipiamus à terra, in qua sumus hospites ac peregrini: temporis autem illius, quo nobis hinc in perpetuum erit necessario demigrandũ, nullam omni-

no curam suspicere dignamur. Væ nobis, qui cum de omni actione, de omni verbo otioso, de omnibus denique improbis & impuris cogitationibus rationem reddituri simus apud iudicem seuerissimum, tamen, tanquam liberi simus futuri, nullis reddendis rationibus obnoxij, totum vitæ nostræ tempus sine vlla huius rei sollicitudine transigimus. Væ nobis, quia non solum impia multa nefariaque patrauimus, verum etiam per incredulitatẽ Dei promissa spreuimus, atque contemsimus. Væ nobis, qui stulto corruptionis studio capti, cum per Euangelium vitæ possemus assequi incorruptionem, rerum terrenarum amore insanientes, æternis incorruptisque bonis nos spoliauimus. Væ nobis, qui in hominum conspectu peccare metuimus: ante oculos autem occulta cernentis Dei impia agentes & peccantes non contremiscimus. Væ nobis, qui sermones nostros

ſtros non condimus ſale diuino, ſed verba inutilia,& ab omni religione aliena temerè fundimus. Væ nobis quorum animi compunctionẽ propter ſomnum atq; deſidiam noſtram dæmones deprædantur. Væ nobis, qui cum reliquerimus mundum, homines qui in mundo viuunt, peccatis & vitiis ſuperamus. Væ nobis, qui cũ magnis reprehenſionibus indigeamus, eos qui minimis vrgentur vitiis, acerbiſſimè caſtigamus. Væ nobis, ſi Deus nos, antequam emendemur in iudicium adduxerit. Væ nobis qui ventris noſtri ſordes non conſiderantes, à libidine & ſuperbia ſuperamur. Væ nobis, qui cum aſſiduè corda noſtra fædis cogitationib⁹ inquinemus, nos tamen & haberi ſanctos volumus & appellari. Væ nobis, qui vanitatib⁹ incumbentes, pugnare cum vitijs obliuiſcimur. Væ nobis, qui hîc ſine timore nos peccatis obſtringimus, quoniam illic nos ignis æternus excipiet,

piet,& tenebræ exteriores,& vermis, qui non dormit, & luctus & ſtridor dentiũ, & coram angelis & creaturis omnibus dedecus ſempiternum. Væ nobis, quorum animæ confuſæ, & à pœnitentia alienæ in reſurrectione & horrendo illo gentium omnium iudicio,aſſumptis corporibus ſuis,cum fletu & ſtridore dentiũ, in gemitus & luctus,&cruciatus coniicientur acerbiſſimos ac ſempiternos. Væ nobis,q in illo peregrinationis exilio deteſtãdas oblectationes conſectamur, & paradiſi delitiarum obliti, contemnimus regnum cælorum. Væ nobis, qui propter crudelitatem ſtultis virginibus ſimiles ſumus, & oleum, quo noſtræ lampades illuſtrentur,beneficia in proximum conferentes non emimus. Væ nobis, qui dieb⁹ ac noctibus Chriſto preces perſoluimus di-

NOTA. centes: Domine, domine: & ea quæ nobis præcipit non obſeruamus. Væ mihi,qui lamentationes iſtas conſcri-

bo,

bo, neque vllum veræ pœnitentię signum ostendo. Væ illis, qui aliis laborant, & sibi ipsi nō prosunt. Væ nobis, qui cum assiduos conscientiæ nos reprehendentis stimulos sentiamus, nō erubescimus, nec, rationem actionum nostrarum reddituri, Dei iudicium formidamus. Væ nobis, qui cū turpibus operibus fœteamus, laudibus tamen hominum gaudemus. Væ nobis, qui reb. inanibus occupati, diuini timoris obliuiscimur. Væ nobis, quorum mens studio vanitatis obtunditur & hebetatur. Væ nobis, qui cum Dei patientia nos toleret & expectet, non tamen resipiscimus, nec prauas actiones nostras emendamus. Væ nobis, qui peccatorum nostrorū in præsentia non meminimus. Quoniam paulò post, cum anima erit corpore exuta, omnia quæ vel cogitatione, vel verbis, vel factis admisimus, magno cum dolore nobis in memoria cōscripta perlegemus. Væ nobis,

qui

1 Cor.11. qui, cum Apostolus dicat; *Qui manducat panem, vel bibit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini*: nostris immunditiis coinquinati, ad tremenda & formidanda Dei mysteria, veniam nobis ipsi, eorum, quæ nocturnis imaginationibus cogitando fecimus tribuentes accedimus. Qui enim nec puram habet cogitationem, nec castos oculos, nec corpus incorruptum, nec animam mundam, & assidet Deo, is se multis tum carnis doloribus, tum animi ægritudinibus obnoxium reddit. Et mox in æternos cruciatus, & immensum dedecus incurret. Me miserum qui hæc acerbè lacrimans scribo, nec tamen reipsa pœnitentiam amplector. Heu mihi qui vera dico, sed bona non facio. Heu mihi, qui bona doceo, sed mala committo. Væ illis qui voluptatis suauitate deliniti peccant, quoniam ad extremum dolore afficientur & ignominia sempiterna.

terna. Væ illis qui lugent, ſed peccare non deſinunt, quoniam vtili ſe luctu ſpoliant. Væ hominibus qui proximum contumelia afficiunt & ignominia, quoniam à charitatis beatitudine ſunt alieni. Væ inuidis quoniam procul abſunt à Dei benignitate. Væ illis qui ſtudent hominibus placere, quia Deo placere non poſſunt. Væ illis qui perſonas hominũ reſpiciunt, quoniam à Dei veritate deciderunt. Væ ſuperbis, quia ſunt ex parte diaboli deſertoris. Væ illis qui Deum non timent, quia pluribus peccatis implicabuntur, & in hac atque in alia vita vapulabunt. Væ nobis, qui pulicum, & lendium, & pediculorum, & muſcarum, & culicum, & apum morſus atq; aculeos ferre non poſſumus, ab ingenti autem dracone, qui fauces horrendas aperit, vt nos deuoret, & abſorbeat, omnibuſq; peſtiferis mortis aculeis vulneret, nec ſtudemus aufugere, nec vllum aduerſus eum im-

ploramus auxilium. Væ nobis quos Diabolus voluptatibus,& doloribus, & necessitatibus,& omnibus, quæ in mundo sunt, fraudibus decipit. Et tamen nos à tot malis nolumus liberari. Væ nobis, qui, cum multi totiam annos ab Ecclesia defecerint, & orthodoxam fidem conentur labefactare, tamen nec lacrimas fundimus, neque vllum animi dolorem ostendimus, nec mores ac vitam emendamus, vt peccata peccatis, & incredulitatem malis operibus cumulantes, acerbissima nobis supplicia in gehenna paremus, ac sempiterna. Væ nobis, qui post conscriptas lamentationes, & fine mundi iam aduentante, nec resipiscimus, neque eorum, quæ à nobis in adolescentia commissa sunt, pœnitentiam agimus, sed miseræ senectuti maiora & grauiora in dies imponimus onera peccatorum. Væ nobis, quos, cum varijs corpo-
rum

rum morbis erubescamus, non pudet, miseras animas nostras, & corporum flagitijs & peccatis fœdissimis ægrotare. Væ nobis, quibus per ignem, super maris vndas ebullientis, est transeundum, vt vnusquisque nostrum in suo corpore accipiat, prout gessit, siue bona, siue mala. Væ nobis, qui tenebrosum illud, & materiæ expers incendium, æternumque, atq; amarum fletum & stridorem dentium non consideramus. Ablato enim flammæ splendore, Deus in illo igne relinquit vrendi vim & obscuritatem, quo magis impij & peccatores excrucientur. Hei mihi, misera anima mea, quoniam assiduus dolor & cruciatus cor meũ affligit: quia malitia prudentiam immutauit, corruptio vicit incorruptionem: mendacium texit veritatem: mors vita superior fuit: terrena, caduca, & breuia, cælestibus, perpetuis & sempiternis sunt commutata: ab-

iecta & odio digna, vera Christi charitate & grauitate dulciora sunt habita ac iucundiora. Error ex animo meo depulit veritatem. Dedecus & ignominiam pro veris laudibus, & gloria sum amplexus. Amaritudinem pro dulcedine degustaui, terræ fuliginẽ, pro cœlorum regno dilexi. Inimicus ab omni vera pulchritudine abhorrens, cordi meo tenebras offudit, & cognitionis lumen deleuit è mente mea. Heu me miserum & infelicem, quem Diabolus suis implicitum retibus cepit, ac supplantauit, & è tanta sublimitate deiecit. In cursu confractus cecidi. Vani fuerũt sudores mei. Quis vicem meam non lugeat? Quis me inanibus consumptum laboribus non lamentetur? Quis me in portu naufragium facientem non misericordia prosequatur? Miseremini mei, miseremini mei, saltẽ vos amici mei. Et benignum, quique à nullis vincitur malis, Dominum meum Iesum

Christum

Christum supplices deprecamini, si forte misericordia adductus, densissimam Diaboli ab omni pulchritudine abhorrentis caliginē excutiat è mente mea, vt quo in luto verser, nec surgere curem, tandem aspiciam. Ne fortè contractum vitæ meæ tempus omnem mihi spem adimat. Non est dolor supra dolorem meum. Non est plaga similis plagæ meæ. Non est cruciatus par cruciatui cordis mei. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Vulnera mea non sunt gladij vulnera, nec mortui mei sunt mortui in bello. Sed sagittæ inimici acutæ infixæ sunt mihi, meum interiorem hominem excæcarunt. Et infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Timor, quē timebam, euenit mihi: & vmbra mortis operuit me. Hei mihi considera anima mea, & vide, quæ præsentia sunt, quam fugacia sint, & quanta cum acerbitate & dolore cito pertranseant, & quan-

tò ſint, quæ iam aduentant atque adſunt, acerbiora. Cogita anima, è quãtis bonis excidas & quanta ſpe: & quantis mox cruciatibus & ſuppliciis in perpetuum afficieris. Antequam igitur ſuper caput tuũ lux extinguatur, ſupplex ad Dei clementiam accede, æterni luminis largitorem obſecra & obteſtare, vt liberet te à deuorante flamma, & tenebris obſcuriſſimis. Quoniam benignitas ipſius eſt, hominum peccatis ignoſcere, & nobis licet miſericordia eius indignis, veniam dare. Cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

V.

ENimuero non admodum graue & difficile, nec rarum eſt ſeipſum culpare, nemine poſtulante aut incuſante. Imò non infrequenter per ſpeciem hanc accuſationis & ignominiæ captamus gloriam, vſque adeo tectis & occultis viis ſuperbia ſerpit & graſſatur ad laudem. Longè diuerſa ratio eſt illius, qui inter æquales (neque enim hic de foro aut cataſta tractamus) inſimulatus culpæ, poſtulatus reus, accuſatus de vitiis

aut

aut modestè fatetur, aut innocens tacet, & tacendo se reum videri non reformidat, nec excusat. Cuius tibi rei vnum alterumuè ex Patrico & Dorotheo exemplum pro coronide subiiciam. Commisi, inquit Zosimas, notario cuidam, scitè & eleganter characteres formanti, qui tamen erat monachus, vt mihi sacrarum literarum volumina describeret. Absoluta opera, misit qui mihi nunciaret laborem esse peractum, curarem per aliquem, si videretur, ad me deferri. Audiit hoc quidam ex cætu fratrum, & profectus ad librarium, meo nomine exegit libros, & auertit. Ego ignarus facti, misi ex domesticis quempiam cum literis & tabula rationum, vti reciperet biblia descripta. Notarius animaduersa alterius, qui scripta abstulerat fraude, indignatus se tam fœdè circumuentū. Ibo, inquit, & reum postulabo duorum criminum, quod ita in me illuserit, & rem alienã abstulerit. Quod ego cum intellexissem, misi qui diceret amanuensi: Non ignoras mi frater, sacras literas eo nomine comparari à nobis, vt inde charitatem, modestiam & mansuetudinem discamus. Quod si nobis vsus Bibliorum pariat contentiones, non cupio librum vllum, ne altercari cogar, famulum Dei non decet litigare. En ego lubens libri iacturam

faciam, dummodo alteri ob hanc causam ne molestus sis. Idem porro Zosimas memor olim huius senis (cui volumen ab altero vicino fuerat clam subductum) dicebat haud ignorasse, quis ille esset, qui codicem furto sublegerat, nec tamen vnquam ab eo reprehensum; quin imò contentius pro eo laborasse, quod diceret, forte illum magnopere indigere. Mirabatur ergo Zosimas sanctorum virorum erga alios summum misericordiæ affectum. Fecit & illius patris mentionem, cui alter vasa è cella abstulerat, quæ ipse postea apud eum deprehendit, sed dissimulauit, seseque continuit, quoad alter illa absconderet. Sed idem deprehensum à præside religiosorum & in vincula propter furta coniectũ, custodia exemit.

VI.

NArrauit idem Zosimas de eodem, cum in forum profectus esset, vestis comparandæ caussa, & aureum pro illa numerasset, ac deessent aliquot æra, quæ dum posita ad pedes veste, in tabella appendit, accessit quispiam vestem ablaturus, quod senex cũ animaduerteret, consilio rem ex commiseratione dissimulans, vt alter commodius iacentẽ tolleret, erexit se, & extendit quasi libræ di-
scri-

scrimina notaturus, quo spacium daret furi vestis auertendæ. Auertit alter & abiit, & emtor (quasi illi pallium, non sibi emisset) non reprehendit aliena tollentem. Adiecit etiam Zosimas pretium vestis & vasorum, quæ religiosus ille pater sciens perdidit, cuius multo magis voluntas & affectus laudandus est: docuit enim perinde illi fuisse habere quæ possidebat, & carere; negligebat illa cum ablata sunt, eundemq; vultum retinebat, nec molestia afflictus, nec animo perturbatus. Itaque quod affirmaui semper, non nocet rem habere, sed illam cum affectu possidere. Hic enim si totum mundum solus possedisset, perinde se habuisset, ac si omnibus careret. Etenim ex iis quæ habebat, ostendit liberam mentem, & ab omni cupiditate remotam. Retulit de eodem patre Zosimas (vt doceret illum nec laude fuisse elatum, nec vituperatione de statu mentis vnquam deiectum) renunciatum illi fuisse, eum propter excellentem virtutum, & admiranda opera quæ supra naturæ facultatem edidisset, à tota gente vicina quasi pro cælite haberi & coli. Fuit etiam, vt à malo genio insessus veniret, & in illum contumeliosè incurreret, palamq; vltimis conuitiis laceraret, illo se non auertente, sed attendente quid diceret, & gratias eti-

am agente. *Benedictum,* inquit, *mi frater sit os tuum à Domino:* hoste contra responſante: *ne tu improbe & voracissime senex hæc dicis, vt lauderis; sane* inquit senex, *ita planissime, mi frater, se res habet, vt dicis.* Hoc dialogismo peracto quispiam rogauit patrem, vtrum nihil fuerit his maledictis commotus? qui nunquam aliàs tam pacatum se fuisse affirmauit, vt qui suam animam tum singulari Christi gratia senserit custoditam. Et reuera magnæ gratiæ sunt eiusmodi generi hominum habendæ, & si fortè sis adhuc animi morbis obnoxius, tanquam medici adhibendi, qui vulnera mẽtis curent. Sin autem sis ab omni animi ægritudine liber, tanquam ij, qui tibi benefaciant, & immortalium in cælo bonorum thesaurum concilient.

VII.

IDem interrogatus, qua ratione, si ab alio contemnaris, & cõuitiis appetaris, animus sit ad æquitatẽ componendus, ne in iram efferuescat? si, inquit, teipsum contemseris, nõ perturbaberis, vti docuit Poemẽ abbas. Nam si teipsum abieceris, plena animi pace perfrueris. Et subiecit: fuisse quendam secum religiosum fratrem, quem & religiosa veste Deo initiarit, & sæpè postea coercuerit (quod

morum

morum corruptelis esset deprauatus, & vicem illius ob imbecillitatem animi doleret.) Hic ergo, amo te, inquit, mi pater vehementer. Cui ego: Ad huc à nemine tantoperè sum redamatus, quantopere quemquam alium amaui. En affirmas iam nunc me abs te amari, & suadeor ita esse vt dicis. At si quid vsuuenerit, quod tibi non arridebit, in amore non perseuerabis. Me verò quæcunq; mihi aduersa ex te nascentur, nunquam ab amore tui auertent. Inter hæc non multi dies fluxerunt, cum ille, nescio quam ob rem, cœpit multa de me sinistrè loqui, vsque adeò, vt etiam in obscœna quoq; verba prorũperet. quæ omnia cognoui: & ipse mecum, Hic, inquam, est cautè à Christo missus, vt omnẽ animæ meæ vanitatẽ & gloriam ferro adurat. Ab huiusmodi cõuitiatoribus poteris non mediocrẽ haurire vtilitatem, si sapias; vt & detrimentũ capere ab ijs, qui beatũm & sanctum prædicare solent. Hic, qui te incessit maledictis, reuera tibi prodest, quem vt medicum animi interpretor. Ego cum illa mihi renunciata essent, quę alter in me dixisset, respondi ea, quę ab illo de me essẽt sparsa, aperta esse mala, eorũq; minimã partẽ quę vidisset: occulta verò in animo latere infinita, quæ nõ vidisset. Postea cõtigit vt Cęsareã petenti occurreret, vbi ille

ille me pro consuetudine complexus osculatusque est, egoque vicissim illum, tanquam nihil vnquam accidisset, & inter mutuam consalutationẽ frequenter me basiabat, nec ego vllum signum, vel suspicionis, vel tristioris vultus erga illum prodidi, etsi omnia scirem, quæ de me maledicè iactarat. Tum ille profusus, pedes meos imbre lacrimarum inundans: Ignosce pater, inquit, per Christum, multa enim indigna & atrocia de te dixi. Ego contra osculo complexum compello: Meministiné, cum diceres mihi, me abs te vehementer diligi? & responsum à me, neminem repertum, à quo tantopere diligerer, quantopere ipse à me diligeretur? Et si quid sequius accidisset, fore vt mutares animum? Ego verò, quicquid abs te mihi tristius eueniret, nũquam tamen amorem erga te meum essem positurus? Et velim credas mihi, omnia me cognouisse, nihilq; mihi latuisse, cum famam meam obtrectationibus læsisti, omnia didici, vbi, & apud quos id factum. Nec apud quos id factum, nec apud quenquam illorũ vnquam negaui verum esse, quod dixisses, nec à quoquam vnquam induci potui, vt vllum verbum sinistrum contra te proferrem. Sed contra affirmaui, te vera dicere, & bono animo, & singulari erga me charitate id abs te di-

te dictum factumque. Nec vnquam votis meis tibi numen propitiare destiti. Et vt tibi argumentum charitatis aduersus te certæ ostendam. Laborabam grauiter quondam ex oculis; cum memor tui, impressi sanctæ crucis signum super illis,&: O Domine IESV Christe, inquam, per preces illius (te nominabam) sana me,& extemplo curatus sum. Et hæc quidem ad religiosum fratrem optimus pater.

VIII.

REferebat idem, petitam esse stipem à beata Dionysia se præsente, illamque pro ratione facultatum suarum impertitam esse petenti subsidium; sed illum, quod pro spe minus accepisset, cœpisse inhumanè conuitiari illi,& de me, illáque dicere, quæ præter omnem erant honestatem. Indignata & incitata Dionysia, voluit vltum ire tantam iniuriam. Quod ego sentiens, quid tibi vis, inquam, Domina tibi ipsi insidiaris. Omnem enim virtutem ab animo excludis. Quid dignum iis sustinebis, quæ pro te Christus sustinuit? Meministi Domina, quantam vim opũ veluti stercora dissiparis? Quod si mansuetudinem tibi non comparaueris, perinde eris ac faber ærarius, qui massam ferri tundit, & nullum

nullum inde vas cõficit. S.Ignatius; Mansuetudinem, inquit, volo, qua omnis vis & potestas principis huius mundi eneruatur. Nota certa est contemptus mundi, nulla re perturbari. Est, qui multa auri pondo & talenta contemnit, & afficitur vna acicula, cuius gratia commouetur, & loco talenti collocat spinam, efficitur mancipium acus aut cuculli, aut pallij, aut libri, nec est seruus Dei, sed illius, quod amat. Præclarè dixit ille è sapientũ senatu: quot vitia animi, tot domini. Et Apostolus; à quo quis superatus est, huius & seruus est. His illa auditis emendata, & admirata: inuenisti, inquit, Deum quẽ desideras.

IX.

SAnctus Dorotheus rectam, & à Patribus olim ostensam virtutis viam, qua seipsum quisq; accusatum & reprehensum ibat, penitus nobis amissam affirmauit, quando aliorũ facta in crimen vocamus, nostra excusamus, & culpam in alterum reiicimus, cùm nos ipsi recto à tramite aberremus, præcepta & leges diuinas violemus, & interim caussam alteri assignemus. Conuentus sum, inquit, à duob[us] quibusdã de se mutuo quiritantib[us], ꝙ maior de minore diceret; cũ præscribo illi exequẽdum aliquid, affligitur; & iuxta cum illo ego

quoq;

quoq; indignatus,non eo animo ab illo accipi mea præcepta,quo fiunt,charo inquã,sincero & bono. Sed minor: Ignosce,inquit, Domine fortè iste nõ mandat mihi cũ ea qua debet religione,sed vti placet illi,imperat mihi, & inde arbitror animus meus nõ ita sentit de illo vti deberet, & Patres docuere. Aduertite animum, inquit Dorotheus, quomodo isti duo (parum religiosi) fratres inter se contenderint,& alter in alterum caussam deriuarit ac retorserit?

X.

ALii quoque inter se pari modo altercati, mutuatim deprecati sunt, sed ita vt neuter alteri faceret satis, alter enim affirmabat id ab altero non ex animo factum, proinde ex Patrum præscripto nec satisfactũ: alter verò alterum aiebat, nõ prius,quam ipse veniã peteret ab eo fuisse ad charitatis & pacis conditionẽ adductum, ac proinde non ex animo sibi reconciliatum. Viden' Domine, vti serrã inter se reciprocarint, funemq; cõtentionis traxerint,vt alter mulgeret hircũ,alter supponeret cribrũ? Vinden' animi rationisq; prauitatẽ? Testor Deũ,me tota mente percelli,cũ attendo sanctorũ etiam Patrum oracula & respõsa ad perniciosæ voluntatis nostrę

praua

praua sensa & affectus à nobis detorqueri, adeoque in exitium animorum verti. Erat culpa singulis in se transferenda, & alteri fatendũ, se non ex animo alteri ignouisse, eoque non satisfecisse, & alteri se non fuisse paratum ab animo ad ignoscendum alteri, priusquam ille supplex culpam deprecaretur. Ita duobus quoq; prioribus erat faciendum, maioriq; dicendum, se nimis imperiosè cum minore egisse, suaq; culpa factum, vt Deus illi eam mentem non daret, qua mihi satisfaceret; & minori vicissim, maiorem sibi modestè & suauiter præcepisse, se verò contumacem & refractarium nihil habere religionis. Sed neuter illorum ingressus est rectam viam, qua in seipsum descenderet, seipsum reprehenderet, sed alter in alterum culpam auertebat, reumque proclamabat. Vnde sequitur, nos in virtutis progressu nihil promouere, sed omnem à nobis vitam in mutua animorum dissensione corrumpi.

DE

DE CÆCIS SANCTIS.

CAPVT III.

O Cæcas hominum mentes, ô pectora cæca.

MAgna copia cæcorũ est, sed parua sanctorum: luminum vsu carent plurimi, mentis oculis nõ pauciores, nec pauci vtrisque. Primi non tam sunt, quam videntur miseri, alteri verè his miseriores: miserrimi qui & mente aberrant à vero, & capti sunt oculis corporis, quorum hic ego querimoniam non institu-am. Sanctos laudo, qui non modo cæcitatis infelicitatem in nullo incommodo posuerunt, sed etiam de illa sibi gratulati sũnt. Cũ & ex conciliis sapientum fuisse meminerunt, qui vltro sibi oculos eraserunt, vt hoc commodius sapientiæ studiis animum intenderent. Et verò omnes per noctem cæci sumus, nisi alieni luminis vsura perfruamur.

I.

S. TOBIAS.

Tobias nobis dux & auctor est noctis huius patienter & cum fructu perferendæ, nunquam super cæcitate luminum lamẽtatus, quem ego tamen in orbem & vulgus, iam longa sæculorum luce notum & laude patientiæ clarius ipso Clario radiantem, cum iis, quos nouum instrumentum Euangelij celebrat, non mitto. Quamquam illius qui nunquam aspexit diem, donec auctor luminis illi solem ostendit, illustris est apud Ioannem historia disputationis. Neque celebratissimam magistri terrarum orbis Pauli triduanam cæcitatẽ non minus sole ipso Christianis notam reuoco. Minus prompta libet hic depromere.

Ioan. 9.
Actor. 9.

II.

S. PIGMENIVS MARtyr.

Altero & sexagesimo anno post trecentesimum à Christo nato illustris Christi athleta & sacrorum mystes Pigmenius, iuratus simulacrorum Idolis nuncupatorum hostis, magnam dudum, Christianis Imperatoribus,

tibus, eorum stragem ediderat; nec minorem cum impius Christi desertor Iulianus, prostrata sua numina in vitam & cultum nequicquam reuocare conaretur. Videndi facultatem tam non dolebat amissam, quam gaudebat quod sacrilega paganorum studia in atheos Deos non spectaret. Proinde cum ita fors tulisset, vt in Iulianum incideret, & irrisor ille & contemtor numinis & hominis, diis se gratiam habere diceret, quod Pigmenium cerneret: Ego vero, inquit Pigmenius, Deo O. M. æternas memini grates, quod non videam Iulianum. Tandem ob egregiam Christianæ legi operam nauatam, & paganorum euersa idolorum monstra, in Tiberim sparsus ex illo in cælum migrauit, plus hic vnus vidit cęcus, quam omnes laruarum cultores oculati.

III.

B. ENGELBERTUS.

SVbijciam ex Cæsario cæcum familiarem auctori, virum sanctum & miranda patrantem, sed meis verbis, vt compendio narrem, quod ille prolixè recenset. *Lib. 6. c. 10.*

Lib. 6. c. 10. EngelbertusTulpeti(fortèTolbiaci,seuTalbiaci Zulg)apud Agrippinos in lucem absq; luminum vsu editus, solem nunquam aspexit, donec ad auctorem solis proficisceretur. cultus illi corporis vulgari etiam vilior, tegmine capitis simplici vtebatur, tunica endromide crassa è soloce filo, pedes neq; æstate, neq; hieme vel socco, vel aluta aduersus vim tempestatis calceabat; animal non gustabat,in culmo, aut fœno somnum capiebat: neq; hoc ob fortunæ inopiam (copiosos enim propinquos habebat)Ædes religione celebres duce puero etiam remotas obibat. Domi materteræ suæ fæminæ felicis & potentis inter seruitia, quamuis liber,noctu conquiescens sensit duos quosdam grassatores (qui parietem perfoderant, & totam familiam veneficio sopiuerant, præter Engelbertum, cuius virtus & vigilantia nullis carminibus falli poterat) in conclaue irrepere, armaria recludere, loculos, vestem, supellectilem preciosam excutere. Hic Engelbertus vocare seruos, inclamare familiam,latrones adesse,arcerent tenebriones: sed illi malis artibus excantati, somnum excutere non poterant. Ergo cæcus per cæcas noctis tenebras errare,per munimento capitis,ne offenderet in parietes, tabula perforata, (quam eum ad

vsum

vſum ſemper habebat paratã)collum induit, manum claua armat, & ritu furioſi in omne partem telum vibrat,capſas, ciſtas, parietes cæco ictu ferit, & ingentem ſtrepitum mouet, vti territi vecticularij fures, qua venerant,exirent; veriti, quamuis lucernam ferrent,ne ipſi ferirentur. Tandem elapſi mox ignauiſſimam vecordiam ſuam incuſantes; hem, quanti heroës & Hercules ſumus, ab vno,eodemq; luminibus capto in fugam cõiecti! Quin redimus, & optatam prædam eluſo rabioſo illo andabata auertimus? Inter hæc Engelbertus aditum ſcalis admotis ita obſepſerat, vti niſi per radiorum interualla penetrare non poſſent. Moliuntur iterum aditum, & ſe in ſcalas immittunt: quod vbi ſenſit Engelbertus,medio iam corpore transmiſſos deprehendit,&tam arctè conſtrinxit, vti neq; progredi,neq; regredi poſſent, quoad infimis precibus cæcum flecterent, vti laxarentur: quibus non antè miſſionem dedit,quàm ſanctiſſimè iurarent, ſe domum illam nunquam tentaturos,neq; inſidias ipſi poſituros,aut clam,palamué oblæſuros. Cũ illuxiſſet,Engelbertus prodiit, reque vicinis prodita, cum domeſtici magnis clamoribus exciti, nec dum poſſent veternum excutere, animaduerſum eſt,ſuſpenſam ſuper aditu fo-

raminis humani corporis tergi vertebram, eaq; mox amota exsoluti diris repente omnes è stratis exiliere. Post annos non paucos, cum prædones artis patibulariæ pæniteret, vltro ad Engelbertum fama sanctitatis iam celebrem adierunt, professi se fuisse, qui de nocte domũ irrupissent, & vecticulari iam fecissent; illius suasu religiosæ vitæ genus complexi, præteritorum annorum infamiam nouis virtutibus abstersêre. Engelbertus futura sæpe præsensit, prædixitq; tunc principi Saxonum, religiosissimæ matronæ, Henrici Leonis ab Ahenobarbo proscripti coniugis, Othonem filium postea imperaturum. imperauit aliquandiu cum Philippo; sed victus cessit, quoad alter vita exueretur: mox successit Otho Romani nominis quartus Brunschwicensis. Vsu venit, vt complures honestæ fæminæ per viam Engelberto occurrerẽt inter se collocutæ; tum cæcus, sistite, inquit, gradum matronæ; loquatur, quæ modò finiuit: territæ, nec satis certæ, quid sibi vellet Engelbertus; singulis tacentibus, reliquæ illum affatæ sunt, cum Antrada inciperet, te, inquit, volebam, tu, cum tota domo tua mox rebus humanis nuncium remittes, & te Deo consecrabis. Nec aliter, quam dixerat, euenit: maritus, coniux, liberi cœnobia ingressi,

gressi, se Deo dedicarũt. Struxit & hostis Dei, hominumq; illi insidias, quas ope Virginis euasit. moriturus matrem grauiter in morbo cubantẽ, & se ab eo deseri quiritantẽ: Bonũ habe animũ, inquit, mater, vbi ego concidero, tu resurges. dictũ, factũ; illo extincto hæc mox reualuit. Beata Ascelina vidit destinatã illi sedem inter Cælites eximia claritudine refulgentẽ, quam cæco in Alemannia paratam dixit; nec alter fuit, quàm Engelbertus, mille oculatis mentis oculis acutius cernens.

IIII.

ROBERTVS VVACOPIVS.

NOn est quod sibi Græci de suo Didymo, Latinis parum laudato, reprehenso etiam grauiter, gratulẽtur: habet Romana maiestas sua etiam in cæcis miracula, & paullo ante nostram (si non ipsâ nostrâ) ætatẽ. Nam anno post receptam salutẽ CIↃ.IↃXLI. Robertus Wacopius apud Scotos in tenebris natus, clarum iubar solis tota vita aspexit nunquã. In literis tamẽ tantũ progressus est, vti Lutetiæ Parisiorum diuinæ legis doctor creatus, Romæ sacris admotus, in Hibernia maiorem pontificatũ sanctè administraret. Idẽ summi orbis Christiani præsidis imperio obiit legationes. Cõsessum etiam Tridentinorũ Patrũ, quamuis cæcus, non mediocriter illustrauit,

Baronius Vide. Surius de rebus in orbe gestis anno 1551.

nec tamen in rationem cælitum tabulis Ecclesiasticis descriptam (quod meum non est) refero, multo minus excludo, quem inter beatos versari non possum non putare.

Veni nuper in colloquium R.P. Prioris Ratisbonæ apud Scotos, qui multa de hoc coram narrauit, quæ ab ipso olim literis, vt puto mandabuntur, aut à me, vbi in scriptis accepero.

V.
ADAMARVS ABBAS Cluniacensis.

Odilo, Surius XI. Maii.

HVnc in cæcorum beatorũ numero non ponerem, quod vltima demum illi senecta & prope mors ipsa caliginem offuderit, nisi Maiolus huic surrogatus à Marulo, & hunc secutis inter cæcos collocaretur, cum omnium oculatissimus fuerit, quoad vixit. ego tantum erroris castigandi caussa in narratione pono. Parum iuuat alienis oculis credere, minus auribus, minimè omnium calamo. Legi apud Odilonẽ, vel Surium potius, Odilonis syntomistam & epitomarium, S. Maioli virtutem & res gestas; de luminum orbitate nullam vocem aut vestigium. Imò contra, cum corporis habitus Maioli describitur, ab oris elegantia & vultus serenitate præ-

prædicatur. Ita enim Surius ex Odilone. Atque vt ab inferioribus ad altiora ſcandere queamus, erat is vir iam dictus ſæpeq; dicendus, inceſſu grauis, voce ſublimis, ore facundus, adſpectu iucundus, vultu angelicus, facie ſerenus, & quæ ſequuntur. Vnde ergo error in libros prorepſit? ex ἀβλεψία vt fit, Elcogiſtæ non attenti. Adamarus enim cœnobiarcha, cui Maiolus ſuffectus eſt ſenex ophthalmia laborabat, vt eſt in Maioli vita: ſic enim Odilo: Et ſucceſſit felicis memoriæ Adamarus beatæ ſimplicitatis & innocentiæ filius, qui ſtudioſè ſanè monaſterium auxit prædiis & bonis temporariis, atque in obſeruantia regulari deuotus fuit, & cum eſſet luminib⁹ orbatus, ſicut & cætera omnia aduerſa, abſque vllo murmure & indignatione patientiſſimè id tulit. Ob meritum autem patientiæ & ſimplicis atque innocentis vitæ ſuæ hoc præclaro eſt à Chriſto donatus munere, vt eius tempore Maiolus inſtituti monaſtici amore incenſus, ad

GGG 5 mona-

monasterium ipse seseChristo nostræ salutis auctore vocante contulerit.

VI.

S. BEDA.

Baronius Annali 9. Anno C.731.

NOn occurrit, inquies, tibi Britannorum lux Beda, qui post hebetatam luminũ aciem, & in noctem versam, cum à lasciua seu discipulorum, seu leuium quorundam scurrarum petulantia in templum inuitatus rogaretur, vti pro ambone de rebus diuinis disputaret, ingentẽ & frequentem adesse concionem, paruit (vt erat pius, & hominum salutis studiosus) inuitantium improbitati, & deductus ad suggestum religiosissimè parietes & subsellia ad pietatem cohortatus, quando nemo auditor, præter sanniones ridendo, qui naribus vncis indulgebant, aderat. Sed peroranti & sanctissimæ Triadis nomine concionem finienti saxa acclamarunt AMEN, VENERABILIS PRESBYTER. Hæc inquam tam illustria tu præteris? & sanctissimo viro, quẽ nemo ne laudare quidẽ satis pro dignitate potest, suam commendationẽ & elogium inuides? Ego verò non inuideo. Sed cũ mihi vera scribere vnum studiũ sit, abstineo calamũ ab huiusmodi, quamuis iucundis, quorum nemo eorum quibus antiqua

veri

veri fides & religio cordi est, mentionē facit. Tu si placet Annalium Ecclesiasticorum cō-ditorem consule, qui sapienter falsa à veris hic secreuit. Verum tamen est, Bedam extremis vitæ annis cæcum fuisse, nec de eius sanctitate ambigitur. *Baronius refutat.*

VII.

AVDOMARVS CÆCUS.

MEliore fide Sigebertus ad annum Christi DCLVIII. notauit Audomarum Teruani pontificem posterioribus vitæ annis offusa noctis & senij caligine occæcatū, dum sacrum B. Vedasti pontificis corpus Atrebatis ex humili conditorio leuatum, honestiore tumulo collocaretur, & reliquorum præsertim Auberti precibus, per S. Vedastum vsum videndi dudum amissum recuperasset, ægro id animo tulisse, & votis impetrasse, vt reserata lumina, rursum oborta cæcitate velarentur, quam in salutem suam à Deo immissam sibi dictitabat. Hic vidit, qd commodi cæcitas adferret, quantorumque malorum occasiones præcideret. *Sigebertus.*

VIII.
S. OTHILIA.

Fasti sacri Sur. 13. Decembris. Canisius eod. die. VVolfg. Lazius historia Habspurgica.

ILlustre virginum sidus & nobile Ethiconis siue Hilderici germen Othilia fuit, nisi quod illi natura lucem inuidit, cum in lucem eam edidit. Correxit vitium naturæ cælestis gratia, sacro enim fonte à S. Erhardo Reginoburgensi pontifice tincta, oculorum caliginem absterfit, vti cælum, quo tendebat, intueri posset, quod illi adeo placuit, vti terra fastidita, abiiceret omnia, quæ ex illa nata rursum occidunt, & quæreret nullis sæculorum æternitatibus finienda. Condidit ergo filiæ Hildericus Parthenona, in quo trecentis & triginta virginibus ad cælum facem luxit, patri piacularibus flammis excocto votis suppetiatum venit, atque ex ignibus exemit, vixit anno Christi D.CC.LXXII.

IX.
B. LVCIA S. DOMINICI Alumna.

Conradus Zittardus. Iacobus de Vitria.

HAnc ipsorum oculorum gratia exoculauit. Ausa est enim facinus supra sexus conditionem forte & generosum, solicitata frequenter à nobili adolescente ad mutuos amo-

amores, tandem, quid est, inquit, quod in me tantopere ames? Lumina, inquit, tua me vulnerarunt. Irata sibiipsi intacta Virgo: Itane ego meis oculis lædo mortalium animos, & perdo? Sequor consilium magistri mei. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te, melius est tibi cum vno oculo intrare in regnum cælorum, quam duos oculos habentem mitti in gehennam.* Matth. 5. Marc. 4. Expunxit ergo vtrumque & transmisit amatori, qui tam admirando spectaculo attonitus illico facti pœnitens, tanquam ipse virginem oculis exuisset, abiectis rebus humanis S. Dominici sodalibus se adiunxit. Lucia lucem diuinitus recepit, & in summa vitæ sanctimonia vltimum vitæ diem clausit, hodie multis beneficiis passim in ægros & alios clara celebrisque. Appono carmē, quod olim de hac condidi.

Lucia præstanti virgo sacra corpore, Christo
Virgineum sancto vouerat ore decus:
Lucia cui fuerant gemini duo sidera ocelli,
Et mens sideribus purior atque oculis.
Lucia nympha chori lectissima, qui sibi nomen
A (Domini cana) relligione tulit.
Cognita plus cælo quam terris inclyta Virgo,
Forte erat illustri visa puella duci:
Qui captus nitidis oculorum in Virgine gemmis,
Ardebat tota virgine posse frui.

Sensit

Sensit vt hoc virgo, læso de principe quærens
Quam nostri partem corporis inquit, amas?
Dixisset frontem, frontem abrasisset ab ore:
Abrasura suas non minus illa genas.
Bracchia dixisset; truncasset bracchia virgo
Si labra dixisset, labra resecta forent.
Dixisset dentes; hos faucibus excussisset:
Ille oculos dixit; sustulit illa oculos.
Elisosq; Duci mittens, hos inquit, amasti?
Dono, quod optasti, munus amator habe.
Quærere Virgo piget, quæ quantaq; feceris ante,
Sunt inscripta oculis omnia facta tuis.
Serò nimis telo fodit Lucretia pectus:
Ante scelus castæ mors patienda fuit.

Io. Mosch. in Limonario c.96.

Plane geminum huic, vel hoc illi exposuit Ioan. Moschus. Sanctimonialis, inquit, quædam sedebat in domo sua vitã solitariam ducens; salutisque suæ sollicita, ieiuniis ac vigiliis vacabat iugiter, multasq; faciebat eleemosynas. Sed bonorũ omniũ semper inuidus diabolus, tantas in virgine virtutes non ferens contra illam puluerẽ excitauit. Imisit enim cuidam adolescenti turpẽ de illa, diabolicãq; cupidinem

dinem. Manebat autẽ extra limen eius adoleſcens. Cum ergo virgo illa domo ſua vellet egredi, atq; ad Eccleſiam orationis gratia occurrere, ingerebat ſe illius oculis improbus & impurus adoleſcens, nec illã egredi ſinebat, amatoria quędã verba ꝓcacibus nutib⁹, illi inſuſurrãs: adeo vt iam præ nimia moleſtia adoleſcentis cogeretur virgo domo ſua nuſquã progredi. Die igitur quadam miſit ancillã ſuam virgo ad illum, vt ei diceret: Veni, vocat te domina mea. Abiit ergo ad illã gaudens, & ſtuprũ committere geſtiens. Sanctimonialis verò ſedebat in cubili ſuo. Ingreſſo igitur adoleſcenti ait: ſede. Cumq; ſediſſet: Dic, oro te frater, inquit illa, cur ita mihi moleſt⁹ es, nec permittis me domo mea egredi? Reſpondit adoleſcens. Verè domina, te multũ amo, & quando te inſpicio, totus in tui concupiſcentiam inflammor. Quę ad illum: Quidnam in me pulchrũ vidiſti, quia ſic amas me? Ait

Ait adolescens: Oculos tuos: ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto gladio mox oculos eruit. Hoc autem cum vidisset adolescens, eruisse scilicet sibi Virginem oculos, compunctus corde abiit in Scitim, ibique sæculo renuncians, effectus est probatissimus monachus.

X.

S. AQVILINVS cæcus.

Surius 19. Octob. Fasti sacri.

RES in ciuili statu maximas pro rege Clodoueo gesserat militiæ Aquilinus, coniugem postea illustrem ad monasterium adduxit, ipse pontifex Ebroicensis creatus, petiuit ab æterna luce, vt sibi mortalia oculorum lumina clauderet, vt cælestem contemplati firmioribus mentis oculis lucem posset. impetrauit, nihilominus munere pontificatus egregiè concionando perfunctus. Actā ipsius vitam à natalibus ad vsq; mortem Surius describit. Hic tantum cæcum laudauimus.

S. HER-

XI.

S. HERLVCA.

Herlucam quoq; in Boica vel natam vel educatam hic pono, quæ adoleſcentula ſtudioſior erat corporis ornandi, quam animi virtutibus excolendi. Sed cum illam ſibi Chriſtus in ſponſam legiſſet, non eſt paſſus eam vlterius progredi, ne iacturam faceret innocentiæ. Morbo ergo, ſibi aliiſq; placere ſtudentem emendauit, quæ tum quidẽ meliora, vt amat fieri cum premimur, vota concepit ſi reualeſceret; reualuit, ſed oblita ſui & Dei rediit ad ingenium. Rediit & morbus & refractariam grauius afflixit, promittentem vitam ſanctiorem à morbo denuo recreauit, atq; promiſſa non exequentem luminibus exuit. Hic vltimam verita calamitatem ſeria cœpit conſilia, quæ & perſeuerauit. Monita deinde diuinitus, vt orbem cereum ad S. Cyriaci M. tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret. miſit, recepit, & tam acutum ad vltima vitæ tempora vidit, vt aquilas & linces ſuperaret, nec vlla vi lacrimarum, quas vberrimas frequenter profundebat, corrumperet, neque minutiſſimis telæ acu pingendæ ſtudiis hebetaret.

Paulus Bernried. P. Gretſerus cum Greg. 7. edidit.

Altero tamen caruit semper, vti ne causam vtriusq; olim amissi ex animo deleret.

XII.

S. SPES COENOBIARcha Camplensis cæcus.

S. Greg. Dia. lib. 4. c. 10.

AD sextum lapidem ab oppido Nursia Spes ædem sacram religiosis viris condiderat, quibus ipse sanctissimè præsedit. Quē virum quantis clementia cælestis prouidentiaque afflictionibus attriuerit, quantaq; post beneficia contulerit narrat S. Gregorius, cuius verba plena sensus & pietatis libens volens hic colloco. Adhuc in monasterio positus cuiusdam valde venerabilis viri relatione cognoui quod dico: Aiebat enim, quia venerabilis pater nomine Spes, monasteriū construxit in loco cui vocabulum Cample est, q sexti ferme miliarij interiacenti spatio à vetusta Narsiæ vrbe disiungitur. Hunc omnipotens & misericors Deus ab æterno verbere flagellando

sando protexit, eiq; dispẽsationis suæ maximam securitatẽ seruauit & gratiam, quantũq; eum prius flagellando diligeret postmodum perfectè sanando monstrauit. Eius namq; oculos per quadraginta annorũ spatium continuæ cæcitatis tenebris pressit, nullum ei lumẽ vel extremæ visionis aperiens. Sed quia nemo in verbere illius gratia se destituente substitit: & nisi idem misericors pater qui pœnam irrogat patientiam præstat, mox per impatientiam peccatum nobis ipsa auget correptio peccatorum: fitque modo miserabili, vt culpa nostra, vnde sperare debuit terminum, inde sumat augmentum, idcirco nostra Deus infirma conspiciens, flagellis suis custodiam permiscet, atq; in percussione sua electis nunc misericorditer iustus est: vt sint quibus postea debeat iustè misereri. Vnde venerabilem senem dum exterioribus tenebris premeret, interna nunquam

luce destituit. Qui cum flagello fatigaretur corporis, habebat per sancti spiritus custodiam, consolationem cordis. Cum verò iam anni quadragesimi fuisset in cæcitate tempus expletum, ei Dominus lumen reddidit, & vicinum suum obitum denunciauit, atque vt monasteriis circumquaque constructis verbum vitæ prædicaret, admonuit: quatenus corporis recepto lumine, visitatis in circuitu fratribus cordis lumen aperiret. Qui statim iussis obtemperans fratrũ cœnobia circuiuit, mandata vitæ, quæ agendo didicerat, prædicauit. Quintodecimo igitur die ad monasterium suum peracta prædicatione reuersus est, ibiq; fratribus conuocatis, astans in medio, sacramentũ dominici corporis & sanguinis sumpsit, moxque cum eis mysticos Psalmorum cantus exorsus est. Qui illis psallentibus orationi intentus animam reddidit. Omnes verò fratres qui aderant, ex ore

eius

eius exisse columbam viderunt, quæ mox aperto tecto oratorij egressa aspicientibus fratribus penetrauit cælum. Cuius idcirco animam in columbæ specie apparuisse credendum est, vt omnipotens Deus ex hac ipsa specie ostenderet, quàm simplici corde ei vir ille seruisset.

XIII.

IVLIANVS ABBAS cæcus.

OFfensus hic erat moribus parum emendatis Macarij pontificis Hierosolymorum, eamq; ob caussam ab eius societate se abstinebat, nec vnde sacra Christi mysteria caperet habebat. Consultus ab eo Simeon antistes, monuit vti ne seipsum ab Ecclesia dissociaret, qualis enim cunque esset præses illius, Ecclesiam esse sacrosanctã, & vita improborum non temerari, nec doctrinam eius ex vitiosis præsulibus corrumpi, quæ sponsa Christi sit ab eod. ab omni labe errorum repurgata. *Io. Mosch. in limonario c. 96.*

Omitto, quæ idem narrat, de tribus Alexandriæ in Tetrapylo cæcis inter se colloquen-

tibus, mihi de sanctis aut beatis potissima narratio est.

XIIII.
SENEX CÆCVS IN Cœnobio.

Idem. HIc duos supra viginti annos aquam ipse sibi hauriebat ex fonte mille passibus ab illius tuguriolo remoto. Atque ne à via aberraret, quod esset longior, & extra viam, & sæpe arenis, ventorum flabris in cumulum aggestis obsepta, funem ad ipsum os putei alligauit, vt extrema pars ad cellam omnino pertineret, quo velut Theseus in labyrintho viam explicabat, nec passus est sibi ab aliis aquam adferri, cum multi sua illi officia deferrent, ne laboris & patientiæ faceret iacturam.

XV.
CÆCI PERVANI.

SVnt in Collegiis Indorum & Iaponum sodalitates certorum hominum, qui ad omnia Christianæ charitatis officia sunt parati. Illi visunt ad ægros, ad vinctos, ad alios. Iidem adsciscunt sibi cæcos, qui ex eleemosynis viuunt, & quotidie ad Eccle-

sias

iæ nostræ limina, tum mane, tum vesperi doctrina Christiana imbuunt eos, qui cõfessionis faciendæ causa adueniunt. Quoties Patres bini missionem obeunt, duo ex his cæcis, viarum duce adolescentulo, adiunguntur, magnumque alleuamentum laboribus nostrorum tum in populis, tum in vrbibus sua institutione afferunt, omnesq; conantur eos in ædes suas pertrahere, vt accuratius ex eis percontentur Theologiæ Christianæ mysteria, modumq; rite confitendi.

Concludam hoc caput aurea Coronide Damiani Iaponis ex hac cæcorum classe facile principis, & quod amplius est inter cælitũ purpuratos ob mortem Christi & religionis causa constanter obitam collocandus.

XVI.

DAMIANVS CÆCVS & martyr.

Digna posteritatis memoria tradit P. Frãciscus Peresius in literis ex Iapone missis de Damiano cæco, primum pagano,

mox Christiano, demum purpurato cælestis Imperatoris, sanguine pro Christi lege fuso. Saccai in lucem absque luce editus Amanguci posuit sedem, nuptias celebrauit, & quia memoria prope supra fidem pollebat, atque ingenij felicitate, iudicioq; plurimum valebat (solet enim natura, si quid in corpore parum emendatè edidit, animi bonis compensare, quod & in Socrate & aliis factum antiquitas docet) statim omnia arripiebat. Ita Damianus ab indole egregiè paratus, quo minus oculis, tanto plus animo peruidebat, superstitiones certè patrias & auitas adeo combibit, vt nullo negotio omnia suorum Deorum &dogmatum arcana perdisceret, & quicquid aliis difficile intricatumque esset, ipse euolueret & penetraret, suisq; tanquam publicus popularium doctor præconium cum magna laude faceret.

Hunc olim incessit cupido nostræ doctrinæ capita cognoscendi. Venit, audiuit, cognouit, captus est; tanta enim veritatis vis est, vt mentem bonam, nec peruicacem statim occupet. Intra paucos dies Christiana institutione probè imbutus, cælestem respexit lucem. & salutari tinctus vnda magnum attulit gaudium Christianis, ingentem Bonziis dolorem, qui mox illum insectari cœperunt,

omni-

omnibusque vitæ præsidiis exuere, cum antea velut Ecclesiastes illorum lauta quadra viueret. Redactus ad vltimam inopiam Damianus animum nequaquam despondit, sed ab Amangucianis, qui Christum colebant, quamuis & ipsis admodum egentibus, tamē pro copia rerum liberaliter alebatur, præsertim cum ipsius opera multis in rebus ipsis opus esset. Fungebatur enim in Patrum absentia munus concionatoris, ægros solabatur, audaciam & impudentiam Bonziorum retundebat. Inter hęc vsuuenit, vt accersitus ad Imperatorem seu prætorem prouinciæ, hominem cætera paganum, sed non importunum, vt cum illo de Iaponicarum antiquitatum, quarum præses erat amantissimus, & Damianus peritissimus tractaret; quod fecit tam commodè, vt subinde cum locus esset, peroportunè nonnulla de philosophia Christiana sermonibus aspergeret, Deorumque simul profanum cultum infirmaret. Quare effecit (nunquam enim fæcundum Christi verbum est sterile, præsertim cum in glebam tractabilem incidit) vti mox duo ex officio aulico animum ad nostras partes applicarent, & sacris nostris initiarentur, quos magna postea cura Damianus ad disciplinam Christianam informauit. Idem aliàs trecenta

15. milliaria Germanica. millia passuum quamuis cæcus confecit, vt nostros conueniret, quos obnixè rogauit, vti ne grauarentur tradere sibi Euangelia, quæ ad curandos ægros adhiberentur, & quæ celebriorib⁹ anni diebus publicè in templis pronunciarentur, cum glossematis, & exegesibus selectis, sperare se vbi semel iterum ac tertium audiuisset, omnia fideli memoria custoditurum, eaque præcepta sibi & aliis magno vsui & commodo futura. Impetrauit quæ voluit, & magna cum fide præstitit, quod recepit. Cognitum enim est, ingẽtes inde fructuũ manipulos ex eius semẽte demessos. Fuit, cũ Amanguci centum admodum ex ciuib⁹ animi caussa in campum prodambularent, in quorum comitatu & Damianus fuit, & nonnulli Christiani, cum emissario quodã seu anteambulone pagano, sed vrbis præfecto in paucis grato. Nec procul domicilio Bonziorũ via ducebat ambulantes, vbi in sacrilegum idolũ carmine multo vestitũ incurrunt. Hic Damianus simulacro propior, quod manu cõtrectabat, versus ad hos: quid, inquit, hoc olim profani Numinis fuisse, quemue Deum hoc saxo repræsentari existimatis? fœminam aio fuisse, opis alienæ indigentẽ; quã aliis afferre qui possit cogitate? Vulnerauit hæc Damiani vox animum aulici mancipij; qua nu-

mea

men à se cultum vidit tam contumeliosè tractari,&: Atqui,inquit,& Iesum,quē Christiani adoratis, muliere natum affirmatis. Affirmamus,inquit Damianus,sed longe alia via, modoq;,aliisq; latentib⁹ arcanorum secretis, à quib⁹ procul abest profana mulier vestra; cuius originē longa verborū serie cœpit aperire,& sexcentas fabulas de eadē ineptissimis nugis refertas,& mille modis explodendas recensere. Quibus adeo excanduit aulicus,vt effecturum se minaretur apud proregem, vt vel omnes Christiani Amangucio proscriberētur,vel certe Damianus pelleretur. Cui Damian⁹, sol, inquit,publicum mundi sidus nō Amanguci tantum lucet,sed omnē terrarum orbem illustrat. Sex & sexaginta per omnem Iaponem hodiè regna numerantur: ex hoc pulso sexaginta quinque supersunt, in quib⁹ singulis,si annum duntaxat traduxero, ad sexaginta quinque annos æuum propagabo. Quo responso aduersarius adeo inflammatus est,vt prope in rabiem versus, manus acinaci admoueret,Damianum illico obtruncaturus; sed Christiani Damiano succurrentes ferrū pagano extortū, & in saxo elisum adeo hebetarunt,vt vix vsui esset. Ille ardens ira tāquā furiis agitatus ad proregē prouolat, Damianū atrocissimè accusat,& mille nominib⁹

reum

reum postulat, tamq; ardentes præsidi faces admouet, vt ille incensus ira per cursorem extemplo citaret ad tribunal Damianum. Viator quod Damiani ædes nesciret, tota vrbe vagus nomen Damiani vbiq; ingeminat. Quod simul ad aures cæci defertur, illico prosilit, cum nullo negotio posset latere, & se ducendum ad prætorium vltro, moriturus etiam, offert. Est enim mens sibi rectè cõscia extra metum. Prorex obiicit Damiano, quæ accusator detulerat, fatetur postulatus, sed tacuerat alter de gladio, quẽ in cæcũ strinxerat, tum Damianus; Quæro, inquit, clementissime Domine, qua lege martiali aut equestri, miles valens & robustus iuuenis, quod non capiat quæ disputantur, ferrum expediat in exoculatum, qui ad defendendum vim non habeat, nisi flabellum, quo sibi æstuanti frigus ventilet, huic rei telum hoc in me vibratum, illique extortum, & in marmore probè retusum, testem aspice. Contemplatur prætor serratum gladium, indignatusque ensem in publicam viam è fenestra abiicit, delatorem ab ædibus proturbat, Damianum accepta excusatione absoluit.

Vigesimo post nostram ab Amangucio profectionem die, matronarum agmen (triginta erant) duce eod. proregis emissario ad visen-

endum Collegium (vt curiosum est in-
nium muliebre) venit. Custodiebant do-
m ex Christianis cum Damiano duo. Fœ-
næ cæco cœperunt illudere, sarcasmis in-
sere, & passim ioca salsa spargere, præser-
n vbi ad culinam penetrarunt, dictitabant
olere assarias dapes ex humana carne, per-
le quasi Christiani essent anthropophagi.
lebat hæc Damiano infamis calumnia,
am mox vltum iuit. Digressis ad superio-
n ædium partem fæminis, ductor illarum
e quem supra cum Damiano digladiatum
sse memorauimus) hæsit infra propter fur-
m culinæ iunctum, vt amplius Damianum
igitaret; nam arundinē fornaci immissam,
tractamq;, naribus cæci identidem obtru-
, vt quasi esset humanarum carnium nido-
imbutá (per ludibrium obiectabat Damia-
) olfaciendo fateretur. Hic Damiani nasus
n ante muliebri scommate irritatus ira fu-
ire cœpit, ita vti cæcus irrisorem auersum
iperet medium, pugione exarmaret, imò
ruicem illius eod. non perfunctoriè pulsa-
:, qui & conabatur procacem iuuenem in
rnum immergere, nam tum frigebat, sed
amiano vti ligna ferrentur clamitante; si-
ilanteque velle viuum videntemq; vstu-
e & assum fœminis gustandum apponere,
vti

vti porro desinerent tam impiis calumniis Christianos lacessere. Comes fœminarum in arcto deprehensus, & rem serio geri arbitratus immaniter vociferari, opemq; ingenti clamore flagitare, qui fœminarum aures mox verberatas è conclaui superiore deuocauit, quę vbi iuuenis periculum spectauere, nō ausæ aggredi, quamuis multæ virum vnicum & oculis orbatū, tanta miseris inest formido, clamorib⁹ tantum reuocare ca cum à cœptis conatę sunt, quarum ille trepidationē vt sensit, etiam maiores finxit iras, quasi mox iuuenem crematurus. Tum demum omnes certatim ad preces versæ, per omnia sacra & chara Damianum rogarunt, vt pedisequo remitteret noxiam impudentiæ, & in præsens missum faceret. idem trepidus & prope exanimatus iuuenis deprecandō factitabat, quibus se gratiam hanc facere Damianus affirmauit, comitique illorum missionē dare. Cæterum abstinerent ab infandis huiusmodi criminationibus Christianorum, qui extra omnem culpam essent & ipsismet criminatricibus innocentiores. Tardiores fecit hic ludus Damiani alios ad huiusmodi calumnias Christianis ingerendas.

Obiectæ ex aduerso nostræ domus, ædes est Bonziorum, qui statis anni temporibus

illuc

illuc cõfluunt ad celebrandos suos Finganos, vti ipsi appellitant, hoc est, dies esuriales, quibus ingens hominum vis ad conciones Bonziorum audiendas conuenit. Nam & Bonziorum disertissimi ad hunc locum & tempus auditoribus suis operam suam cõdicunt. Monitus id tẽporis Damianus est à familiari suo, videri sibi è re Christiana fore, vti ne ad præconium Bonziorũ accederet, quod esset natura calidior, & ægrè sibi temperaret ab ira, præsertim si audiret aliqd absurdi cõtra christianã pietatẽ, quod sæpe cõtingebat, adferri. Verendum esse ne nomẽ Christianorum Bonziis alioq molestum, redderet plane inuisum. Admisit verum consilium amici Damianus. sed cum altera mox concione Bonzij ex oraculis vani numinis Xacæ vaticinium promsissent, quo iactabant futurum, vt post bis mille quingẽtos annos lex noua in Iaponẽ deferretur, qua suæ legis decreta rescinderentur, cuius præcones caligati, albẽtes (sic per ludibrium cultum nostratẽ vocitabant) exequias essent vita functis instituturi. Nuptas prẹterea mortuos cũ paruulis à collo pendentibus ad tumulum vsq; prosecuturas, & coronã pro salute illorum dicturas; id verò inexpiabile sacrilegium & scelus detestãdum videri, quod nemo ex vita abeuntium, nisi

pro

pro Bonziorum virtute, votis & auctoritate ad salutem & alterius vitæ fælicitatem posset adspirare. iam oraculis sortem veram esse, rem ipsam docere, cum Christianæ doctrinæ ratio suorum Deorum Fotoques sectas à malo dæmone natas & institutas asseueret. Cauendas proinde pessimas Christianorum artes fraudesque, quibus alios circumueniant. Hæc & his gemina pro illa concione contra sanctam Christi legem deblaterata, cum per nescio quem ad Damianum essent delata, ille per se iuratus Bonziorum hostis implacabili exarsit iracundia, quod videret, nullum ab impiis dæmonum cultoribus Bonziis finem mentiendi, caluminandiq; Christianos fieri. Postera igitur luce conuentum paganorum adiit, cum illorum doctoribus in certamen disputationis descensurus.

Iam Bonziorum princeps, quem Coro nominant, cum singulari fastu sellam in frequẽtissima concione dicturus occuparat; cultu serico & exquisito cinctus, fascia obliqua ab humeris ad pectus defluente, flabellum inauratum manu gestabat, in mensa explicati Fochischin libri cum cymbalo iacebant. Hic cum oculis circumstantem obiret turbam; aduertit adesse Damianum, & truci minaciq; supercilio, quasi de ignoto quærit, quid illic homi-

hominis sit: Damianum cæcum esse respondentibus, imperat suis extemplo foras proturbarent. Obnitentem Damianum & à concione neminem excludi solere affirmantem, atque adeo confirmantem; si placeret concio, se in partes Fochiscin concessurum, nihilominus eliminant, pessulumque clausis foribus obdunt. Eiectus cum insigni contumelia Damianus; & ab audientia exclusus, molem saxi arripit; & inchoante Bonzio, cum ingenti verborum apparatu & attonito auditorum silentio verba facere; cædere ianuam ædis incipit Damianus; & arietare, magnaque voce inclamare: reserate fores; date aditum, audienda mihi concio est. Iam fremitus vociferantis, & strepitus ferientis aures concionis adeo obtundebat, vt loquẽtis vocem nisi confusam nullam acciperent. Cæcum ergo vel inuitus admittere cogitur, quem rogat; ecquid tandem tam sit importunus, aut quid sibi velit? Audiam, inquit, te dicentem: nunquid aliud? inquit Bonzius. Ego vero, subiicit Damianus: Heri quippe pronunciasti quiddam pro concione, de quo equidem vehementer ambigo. Et quia verebar ne mihi secundum concionem; quam auscultare volebam, tui copiam negares, placebat iam exponere; quid de Xacæ re-

ſponſo, quod mihi heri non videbare ex æquo & vero interpretari, ſentiam.

Dictitabas impium & execrandum nulloq; modo ferendum eſſe Patribus noſtris aliiſque qui Chriſtum profitentur, pro demortuis vota fieri, preces fundi & à numine cæleſti pacem illis & veniam rogari. Ego contra ſentio non eſſe, ſed vel maximè ſanctum, & cum ratione coniunctum maximè. Cum enim fœderati inter nos religionis iure ſimus, & tanquam germani fratres inter nos complectamur, par eſt profectò, vt alter alterius ſalutẽ tanquam ſuam Deo commendet, ne pecudum ritu poſt vitæ occaſum alter alterum negligat, & tanquam feram beluamue abiiciat. Quæro iam ego, an illi veſtri ex vita depulſi ad beatorum ſedes deferantur, cum vos pro illis ex decreto veſtri Xacæ deprecamini? Enimuero, inquit Bonzius, certiſſimi ſunt ſalutis. Audio, inquit Damianus: ergo è veſtræ ſectæ cœtu quiſpiam omni flagitiorum genere coopertus, omnique ſcelere perditus, improbus nebulo, nefarius latro & execrabilis parricida, veſtra commendatione ſaluus erit & terbeatus? Omnino, inquit Bonzius, ſaluus & beatus. præclarè, inquit Damianus. Iam è cõtrario ſi rurſum demus è veſtro numero virum probũ &

omni

omni virtutum copia ornatum, sanctum & innocentem, qui tamē à re familiari malè instructus propter paupertatem vobis nihil possit largiri, vt per vos apud Deos vestros in gratia reponatur & beatitate donetur, sed spargatur, vti solet apud vos, miser in vndas; cupio igitur discere, eiusmodi vir cætera sanctus, sed tenuis fortunæ, qui nihil vobis muneris possit legare, cur à beatorū concilio excludatur? Equidem, inquit Bonzius, dubito vehementer; Itané? subiicit Damianus: ille qui omnia legis præcepta exhausit sanctèq; vixit, à cælitum societate proscribatur, quod non habeat vnde vobis palpum & dona obtrudat? Hoc non solum veræ rationi repugnat, sed & contra jus fas omne, adeoque alienum naturæ videtur, vt prorsus indignum sit à vobis, qui literas, & artes, ac nescio quæ sacrosancta mysteria iactatis talia sentiri, dici, pronunciarique.

Sed ad aliud huius argumenti caput tractandum abeamus.

Animæ corporum vinculis expeditæ, & patrocinio vestro dignatæ, vestra sententia in beatorum censum deferuntur, reliqui à cœlo excluduntur. Sed docete, quo pacto id fieri possit cum vos cadauera insepulta lōgo

tempore relinquatis, nec pro defunctis literis nisi post multam intercapedinem dierum cum anima iam ad destinatum sibi locum delata est. Quam mox enim hæc ex corpore excedit, tam mox vel intra momentum deducitur eo (quod & nostra quoque lex affirmat) quo sententia supremi iudicis pro ratione anteactæ vitæ duci imperat, siue ad præmia virtutum capienda apud superos, siue supplicia propter morum improbitatem tolerandà apud inferos: nam de piacularibus leuium culparum flammis tacuit Damianus, vel quod nullas crederent Bonzij, vel quod animę ignibus purgandæ, iam certæ sint salutis, atque adeo pertineant ad familiam sanctorum. Ad hæc rationum firmamenta cum hæreret Bonzius rubore & pudore suffusus, irarumque plenus se subduxit, & concionandi munere vltro abdicauit. Damianus ad populum versus: Quandocunque hoc loco aduersus diuinam Christi legem & Christianam disciplinam dicetur, accurram & dicta diluam, ac pro religione nostra propugnabo. Bonzius ita fractus debilitatusque animo è concione discessit, vt contra Damianum & eius rationes ne hiscere quidem auderet. Ex hoc congressu Damiani cum Bonzio nobilis quidam Bonzius damnata Deorum suorum

impia

impia superstitione & cultu, se ad Christianas partes adiunxit, & cum aduersariis sæpe manus conseruit, artes illorum improbas detexit, & triumphauit. Adeo vtilis fuit Damiani, cuius studio adfuit Deus, cum Bonzio dissertatio.

Eadē in vrbe torsit atrociter paganam damnatus orci tyrannus, Bonziis multa necquicquam tentantibus & conantibus, quod dæmon à dæmone non pellatur. Cognati, fæminam capto consilio ad Giamabusios singulari cultu inferis initiatos, nec multum à magis abhorrentes auxilij petendi deducunt, qui negant aliud superesse amuletum (quod stultissimum dices) miseræ iuuandæ, quam vt septem diebus collocetur sub prominente rupe, ex qua torrens aquarum magno strepitu cadat, cui ceruix obsessæ subiicienda sit, vt horis aliquot à decidente torrentis fragore feriatur. Ducitur ad montem cum ingenti hominum concursu & præcipitanti ex alta petra aquæ subiicitur. Aderat inter cæteros spectatores puer Christo initiatus, nouennis, qui miseratus infelicem fæminam grauiter sub gelido decidentis amnis pulsu laborantem energumenæ fratrem compellat: Si, inquit, soror tua Christum profiteri volet, præbebo tibi amuletum Patris mei (lustralem

aquam intelligebat) quod Christiani in ædibus seruant ad varia morborũ genera pellenda, vnde plurimi curantur. hoc & germana tua, dubio procul & ipsa quo laborat dæmone liberabitur. Frater quamuis & ipse paganus, amans tamẽ sororis, cum illam saluam vellet, iubet afferri à puero, quam policitus erat medicinam, qui mox cum geminis fratribus suis & Damiano reuertit. Sed fæmina, imò malus hospes fæminæ simul ac sensit Christianos aduentare, præcipiti se fugæ mãdat. persequuntur CHRISTIANI fugientem, & propinqui prensam retinuerunt. Damianus manu flagrum (quod hodie religiosi disciplinam vocant) gestabat, quo statuerat pulsare inquilinum fæminæ, sed veritus ne offenderet præsentes, detractum à ceruice cælestem agnum vna cum sacra corona imponit fæminæ recusanti & totis viribus obnitenti. Damianus cũ pueris Christianis symboli Christiani capita pronunciat, & aqua consecrata mulierem lustrat, quæ mox exanimata concidit. Illico tamen, Deo succurrente, sibi restituta se à vexatore & insessore suo prorsus expeditam sensit, sacram catechesin adiit, & cum multis aliis Amangucianis hoc miraculo permotis salutari fõte tincta in Christi leges & verba iurauit.

Nunc

Nunc ad vltimum Damiani agonem & certamen contra impietatem & Idolorum adoratores susceptam progrediamur. Damianus vicesimum annum ingressus idolis proiectis Christianæ gloriæ crucem contemplatus totum se Christo emancipauit. Breuiaria Theologiæ sacræ per catechesin non solum ipse fæliciter complexus est, sed mox alios docuit & Sociis in Amangutiano agro excolendo opportunissimè suppetiatū venit. Incredibili animi ardore rem Christianam defendit, sacrificulos paganos & indoctos Bonzios doctissimè & eruditissiuuè refutauit, quæ res illi dubio procul adoream in agonalibus athleticam peperit, cum vincere nec ferire, sed feriri doctus fusa pro sanctissima Christi professione vita, lauream martyrii immortalem reportauit. Viue Damiane inuicte Christi miles, qui plus vidisti cæcus omnibus paganis, fortean & multis quoque Christianis? Sed mortis genus quærit lector, & quo animo denunciatam tulerit illatam? Narret ipse Iaponum pontifex, vt maior sit rei fides & auctoritas, qui ad Societatis præsidem in hæc verba scribit: Cum Morindonus Societatis patres cum omnibus S. Euangelij ministris ex suis statibus ex-

terminasset. Damianus solus velut caput & Magister Christianorum Amangusianorum in multis rebus supplebat defectum dicti sacerdotis, in catechesi informando infideles, prædicando Christianis, Baptizando in casu necessitatis infantes, sepeliendo mortuos, visitando in vicinis locis Christianos, exhortationibusq; & piis colloquiis eos in fide confirmando & conseruando. In summa officium boni & vigilantis Pastoris præstabat, fauenteq; diuino numine huius fidelis serui laboribus omni tempore copiosus in horreum Domini collectus est fructus. Habebat præterea donum eiiciendi dæmones ex obsessorum corporibus, multosq; eiecit cum ingenti stupore gentilium.

Hæc cognoscens Morindonus, partim ex odio veteri in fideles, partim Bonziorum capitalium nostrorũ hostium importunitate stimulatus, decreuit Damianum è medio tollere, certo

certo perſuaſus, ſi illum Amangucianis eripuiſſet, cæteros Chriſtianos facile Chriſtum eiuraturos; imò hac ratione & via vniuerſam Chriſtianam religionem in ſuo ſtatu poſſe fundi-tus deleri. Vnde Bonziis perſuadere conatus eſt, ſe in ſuperiorum annorum diſſidio, quod flagrabat inter gubernatores Iaponiæ à Taicoſame relictos, & Daifuſamam hodiernum Monarcham, ſpoliatum maiori Regnorum ſuorum parte, quod poteſtatem feciſſet Societatis Religioſis ſedem figendi Firoſcimæ & Amangutij conuertendiq; ſubditos ad fidem. itaq; ſi pacem tueri velit, reliquæ portionis ex antiquo dominio relictæ, non differret Amangutio exturbare Patrem ibi commorantem; Chriſtianos autem cogeret ad gentiliſmum. De Firoſcima autem nihil poterat, quia erat in poteſtate alterius Dñi.

Damiani mors, vt conſtat ex informationibus authenticis, ea de re ac-

ceptis, publicaque voce Christianorum & Gentilium, ac deniq; ex testificatione eorum qui illum è viuis sustulerunt, in hunc modum se habuit. Morindonus ex propugnaculo Fangui, vbi nunc cùm aula suâ sedem fixit, duos primarios viros dictos Buguioni, amandauit Amangutium, oppidum vicinum specie cōfiscandi bona Melchioris Bugendoni Christiani magna nobilitate & opibus præditi, sed re ipsa, vt Damianum Christianis columnam è medio tolleret.

Ergo decimo nono Augusti dicti Buguioni descendentes ex equis ad ædes Bugendoni iam ad fiscum deuolutas, quas pro diuersorio suo elegerant, confestim mandarunt accersiri Damianum, qui coniecturam faciens de futuris, suspicionem suam aperuit vxori, seque comparauit ad sanguinē amore Christi profundendum. Lauit se, vt solent Iaponij impendentibus nuptiis vel solennitate publi-

publica, melioribusq; se vestibus induit, atque ita cum duobus Christianis totus hilaris in conspectum Buguionum processit: qui ex parte Morindoni ei imperarunt, vt Christianæ legi renuntiaret, & si pareret, nomine suo addicerent illi vectigal annuum homine nobili dignum, ædes commodas, & breuiter in omnibus conditionem status sui splendidiorem, sin secus, sciret actum de sua vita.

Respondit Damianus audacter, se multo libentius mortem, quam conditionem talem acceptare: probè siquidem norat, sectarum Iaponicarũ nullam, solam verò IESV CHRISTI legem, viam patefacere ad vitam æternam. Atque hic cœpit longiorem protrahere sermonem ad illos, & circumstantes & demonstrare multis rationibus, cur amplecti deberent fidem Christianam, obiectaq; sibi facta tanta prudentia & spiritu

dissol-

dissoluit, vt in animis gentilium non exiguam sui admirationem concitarit.

Denique duo illi ministri, vt animaduerterunt se frustra laborare in labefactanda Damiani constantia, consilium capere cœperunt de vita illi adimenda quàm secretissimè, ne si emanaret rumor necis ad Christianorum aures, sequeretur tumultus, vel fugam meditarentur in exteras ditiones. Itaque post occasum solis boni cæci socios Christianos dimiserunt, & sub medium noctis equo impositum prælata face ardenti extra vrbẽ ad ripam fluminis, Damiano ignotã, vbi rei mortis supplicio extremo affici solent, deductus est: ad quem priusquam peruenisset, Damianus dixit militibus: Ego licet cæcus, non ignoro quo me ducatis, nempe ad locum supplicij publicum, vt me, tanquam Christianũ ibi è medio tollatis: quare fratres, ne me decipite. Respondit,

cui cædes erat commissa: Ita mandatum esse à Morindono, eo quod contra edictum eius expressum ausus fuisset ministrum Euangelicum agere Amangutij, & sermones ad populum pro fide Christiana habere. Tunc Damianus ab equo desiliens dixit, se nõ solum libentissimè mortem oppetere pro fide quam profiteretur, verum etiam incredibili se exilire gaudio, sortem tam felicem sibi contigisse. Et quoniam, subiunxit, non solent Christiani ex hac vita immigrare in alteram, nisi comparati, obsecro te vt pauxillum temporis mihi indulgere velis. Quo dicto cœpit recitare suas precationes, quibus finitis, orauit aliquantulum mentaliter, ac demum sine vllo turbatæ mentis indicio collũ porrexit carnifici. Amangutij rumor percrebuit, & iurati testes astruunt, percussorem, cum iam iam esset ensem vibraturus, dixisse, si vellet eiurare fidem, se liberum eum dimissurum:

rum : Damianum verò respondisse animo intrepido, se velle mori Christianum; itaque officio suo faceret satis. atque ita mox eum obtruncauit. In hunc ergo modum felix cæcus pro fide Christi Zelo salutis animæ vitæ finem imposuit: felicem dico, quia tanta lucis internæ claritate peruidit, quid sibi conueniret ad lucrifaciendum cælum.

Cum verò Morindonus ob causas supra commemoratas latere voluerit necem Damiani, carnifices, vt voto eius satisfacerent, corpus eius in minutas partes disciderunt, quas partim in profluentem, partim in vicinam syluam abiecerunt, ne venirent in manus Christianorum. At cum factum postero die innotuit, missi sunt nonnulli Christiani, qui sedulo corpus quærerent, Deoque opitulante repererunt caput & brachium sinistrum; quod hic Nangasaci cum debita veneratione conseruamus.

Immen-

Immenſas omnium bonorum auctori gratias referimus pro tanto beneficio huic Eccleſiæ præſtito. Nam quamdiu diuinæ Maieſtati placuerit, vt ſæpius amore Chriſti ſanguis ab eius amicis profundatur, ſecurè ſperare poſſumus ad eam in dies maiorem acceſſionem futuram, nempe cum ſanguis martyrum, iuxta communẽ vnanimemq; SS. Patrum ſententiam experientia tot ſæculorum approbatam, ſemen ſit Chriſtianorum, quod in ſanctæ Eccleſiæ agro mirabiliter multiplicatur, redditque fructum centeſimum benedictionum.

DE STYLITIS.

CAPVT IIII.

EA nunc tempora ſunt & mores generis humani, vti non ſolum nihil eorum tentemus vel audeamus, quæ veteres aſcetæ maximo animorum robore muniti deſignarunt, ſed fidem etiam factis maiorum abrogemus; quod ab illorum inuſitata nobis virtute tantis interuallis diſtemus, vti nec perſuaderi quidem poſſimus, tam ſeuerum & intolerabile vitæ genus quemquam mortalium voluiſſe vel etiam potuiſſe, præſertim tot annis ſuſtinere. vti verear ne (quod Plinius minor de ſuo ſæculo queritur) poſtquam tam fortia & illuſtria facere deſiuimus, laudare quoq; deſita ineptum putemus, quando iam omnia egregia & conſtantia vrtutis exempla exoleuerunt. Philoſophorum patientia, tolerantia Gymnoſophiſtarum, Maſiniſſarum, Seuerorum, Spartanorum labores ruborem nobis exprimũt, qui Chriſti imperatoris noſtri nomine gloriamur, cui æuum in ſumma vitæ acerbitate traductum, per nocturnas in mõtibus vigilias, diurnos ſudores, quadragintadialem inediam, aſſiduas ambulationes, per lon-

longas conciones,famem,ſitim & contumeliarum indignitates, vinculorum iniurias, diras flagrorum plagas, fœdam crucis ignominiam,& vltimam mortis infamiam non inuidemus, nobis delicatè parcimus, & extremo vix digito attingimus;aliorum fortiora & rariora ſeu martyrum ſeu aſcetarum facta mirari malumus, quam imitari, cum inficiari propter omnium ſcriptorum affirmationem non poſſumus. Habebunt ergo, qui ſe multum aut nimium in corporis torquendi ſeueritate progreſſos exiſtimabunt, quos intueantur, & ſuam remiſſionem cum illorum contentione componant. Habebunt ceſſantes,vt fortibus exemplis ſuam ignauiam condemnent, vt ſi ſupremos virtutis gradus deſperent, ſaltem ad medios aut imos aſpirent.

Stylita eſt ὁ ἐπὶ κίονος ἱστάμενος vti Suidas docet;qui columnam inſiſtit,ſeu in columna aut ſupra columnam degit;quod ſtandi & viuendi genus inuenit, & exercuit Simeon ille, publicus mundi Eccleſiaſtes, & ſol orbis,qui ex alta ſtatione & excelſa columnæ cathedra gentes dictis erudiebat, factis permouebat,operibus omnem naturæ vim ſuperantibus in ſtuporem dabat,cum ipſe proculcatis omnibus, quæ mortales mortalia admiran-

tur, propior cælo quam terris, viciſſim ſpe-ctatores ſuos & admiratores ad humanarum rerum deſpicientiam inflammaret.

Non eſt autem idem dicere ἐν κίονι ἢ στύλῳ ἱστάμενος, & στηλιτευόμενος, quod poſterius plerumque in malam partem accipitur, vt ſi apud noſtrates dicas, einen auff den Pranger ſtellen / & λόγος στηλιτικὸς & epiſtola στηλιτευτικὴ ſcriptum famoſum, quo rei crimina publicè legenda proponuntur. στήλη erat propriè cippus ſepultorum tumulis impoſitus, cum inſcriptione, vt erat illa Iulij Cæſaris in foro, quam Cicero execratam columnam appellat. Ad eundem finem excitabantur obeliſci, columnæ & pyramides, præſertim apud Ægyptios. Sed ſtelis ignominiæ cauſſa nocentium facta inſcribebantur, & erant quodammodo tabulæ ſeu columnæ proſcriptionum. στηλίτης autẽ nihil horũ ſonat, ſed eum qui in columna ſtationẽ habet, quamuis & στῦλος & στήλη ab eodem fonte manet, & à Grammaticis ab ἵστημι deducantur. Sed hæc mittamus, & primum quæramus (quod iam diu dubitatum video) quæ forma, craſſities, altitudo earum fuerit columnarum, quas ſtylitæ inſiſtebant. quæq; communis illorum ratio viuendi, an inſomnes æterna in ſtatione excubuerint, an ali-

quan-

quando cibum ſumſerit, & alia quæ naturæ lex præſcribit; homines enim fuerunt, & nihil humani ab illis alienum fuiſſe licet exiſtimare; quamuis fuerint, qui ambigerent an Simeones hic, auctor ſtationariorũ homo fuerit, necne; cum ea faceret, quæ humanam imbecillitatem longè videbantur ſuperare, vt infra cognoſcetur.

Columnarum quas ego omnibus Ægypti prodigioſis pyramidibus elaboratis, & pictis obeliſcis, coloſſis, columniſque Traiani, propter ipſa quæ ſupra illas fulgebant ſidera antepono, forma fere fuit, vt arbitror rotunda, altitudo varia. Auctor enim Stylitarum Simeon primùm columellam aſcendit non niſi ſenum cubitorum (ſiue nouem pedum) mox duodenũ, poſtea vicenum duûm, poſtremo tricenum ſenum, ſiue, vt Nicephorus & alij tradunt quadragenûm. Modius ſeu cella ſiue domicilium columnis impoſitum, in quo conſiſtebant, in omnem partem duos cubitos ſeu tres pedes patebat, tecto nullo, vt liberè cælum omne contemplarentur, & omnibus iniuriis cæli expoſiti maiorẽ haberent tolerantiæ ſegetem & meſſem. Ianuas habebant nonnulli; nullas alij, quod tempeſtatis violentia parietis partem diſieciſſet. Scalæ admouebantur, cum vel alij ad

illos enitebantur, vel illi ad alios se demitterent, quod quidé vel nunquam, vel ad summa Reipub. pericula deuocati factitabant. Statione porro æterna se cruciabant, nec enim iacendi vel decumbendi spatium erat, poterant tamen sedere; sedisse verò nusquam lego, nunquam puto. Nam primis quadraginta diebus Simeon ad trabem se alligari curauit, alterisque quadraginta mox liber absq; adminiculo consistebat, medio corpore supernè velut Ecclesiastes in ambone extabat. Etsi de omnibus non affirmarim. Hæc fere quantum assequi potui columnarum & illas insistentium ratio fuit. Repertor huius generis tectorum super columnas positorum Romæ C. Mænius fuit, qui venditis ædibus excepit columnam, supra quam tectum proiiceret ex tabulatis, vt spectacula ibi faceret. Multis fortasse hodie, quod longissimè & mente & vita & patientia absimus, ista incredibilia videbuntur, sed antiquorũ Patrũ monumẽtis adeo testata sunt, vti impudentissimus sit, qui inficias ire ausit. Nunc ad singulorũ immortalia opera enarranda properemus, vt fortitudinẽ animorum in Christianis heroib⁹ admiremur, nobisque eorum studia propitiemus, vti gloriam saltem olim illis tanto cæteris maiorem apud superos gratulemur.

lemur, quanto ſublimiorem in terris virtutis gradum conſcenderunt. nam de aſſequenda illorum, per imitationem vitæ laude, iam pridem genus omne mortalium ſpem poſuiſſe arbitror. Et mallent opinor multi ſi poſſent, negare facta, quam facere, quæ præſtare vel nolunt vel non poſſunt.

SIMEON STYLITES ſtylitarum auctor.

TOt ac tanti ſunt huius Simeonis laudatores, vt ſi coner omnia referre, quæ de illo literis conſignata ſunt, vix vllæ columnæ ſint complexuræ, quas quidem ampliſſimas & æternas illi per orbem vniuerſum ſtilo ſuo nobiliſſimo ſcriptores erexerunt. Compendio ergo, meo more, prætermiſſis concionum parergis, quod accepi à multis, paucis tradam. Primus reor omnium ex ſenatu auctorum condidit de Simeone librum Theodoretus Cyri pontifex, magno vir ingenio, oratione copioſa & plana, in veteri Patrum memoria vnus in paucis clarus. Sed is Simeonem ſuperſtitem in ſua columna reliquit, cum è ſtatione vitæ deceſſit, vt poſtremum vitæ actum non potuerit in litteras mittere. Alter eſt Antonius in hiſtoria *Theodoretus Cyri Epiſc.*

Antonius discipulus Simeonis. Patrum magni Simeonis cliens, qui & ipse cum Simeone vixit, & vermes de corpore fluentes collegit, & in vlcerum cauernas reposuit, vt ipse de se in hæc verba narrat: Quidam autem iuuenis adstitit ei Antonius nomine, qui vidit hæc & scripsit. Iuxta præceptũ illius colligebat vermes de corpore eius, qui cadebant in terram, & porrigebat illi rursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere ad similitudinem Iusti Iob dicens: Manducate quod vobis dominus dedit. Et infra ad finem: Ego humilis peccator Antonius in quantum potui lectionem hanc breuiter exposui. Et hi quidem σύγχρονοι fuère Simeoni, secutus est Euagrius & Metaphrastes, qui tamen non extat, nec præteriit Theophanes 4. Leonis anno. Fasti Romani 5. Ian. Nicephorus Callistus, Glicas, Menæa 1. Sept. Omitto Cedrenum, Lipomannum, Surium & Baronium, qui ab antiquis sua acceperunt. Ego paucis multa complexurus, ex multis pauca & selecta tradam.

Euagrius. Theophanes. Nicephor. Glycas. Menæa. Martyr. Rom. 5. Ian. Cedrenus Baronius.

Sesa vel Sisa vicus & castellum est medio inter extremam Ciliciam & Syriam interuallo, v-

lo, vt Theodoretus affirmat, vel in ipsa Cilicia vt Mænologium & Menæa narrant, qui solem nunquam occasurum mundo procreauit, natum anno CHRISTI CCCLVII. vt ex Nicephoro Langius colligit, vt Baronius sex annis maiorem: verius meo animo, nam primos Simeonis annos ante cœnobij ingressum Nicephorus videtur prætериisse. Editum ergo oportuit anno Christi CCCLI. vixisse nouem supra centum, & Leonis Imperatoris quarto, Christi CDLX. extinctum, si extingui potuit tam illustre, quod per orbem omnem primum accensum est astrum. Socioni primitus fuisse nomẽ reperio, quod in professione religionis demum, vt fit hodie in Simeonis demigrauit. Matrem eius Martham audisse lego, & hanc in Diuorum censum relatam ipsisque Calendis septembris apud Græcos coli solitam, vti Menæa & Menologiũ docent. Prima pueritia vsq; ad tertium decimum annum Ouilia secutus, Patris gregem custodiuit, à tam humili stirpe tam altum molitus est ædificium. Quo tempore forte ad templũ delatus audiuit à præcone Euangelij, beatos qui in præsens lugerẽt eosdem olim in cælo sempiterna consolatione permulcendos, purasque mentes beato numinis aspectu perpetuo fruituras. Edoct᷒

postea à religioso viro quem percontatus e-rat, qua via ad salutem tenderet, extra strepitus vrbanos & populi turbas ad cœnobia fugiendum; ibi reperturum optimos vitæ cælestis doctores & ductores. In hac vitæ mutandæ cogitatione dum versatur, gratus membra sopor [illegible]bantis occupat, quo pressus visus est sibi terram effodere, loco fabricæ colendæ, & propter assistentem audire, qui iuberet altius moliri, cumq; mandata exhausisset imperantis, rursum oculos in quietem declinasse, sed identidem vocem exaudisse iubentis, altiorem fossam duceret. qua tandem satis alta, tum demum iussum fabricam de cætero sine labore educere, quoad fastigium imponeret, quasi tantum in principiis sudandum foret, cætera victis naturæ vitiis, sponte consecutura esse, quod & vatis dictum affirmat, cum ait: *Dimidium facti qui bene cœpit habet.* Simeon ergo recta properauit ad asceterium Heliodori, viri omnium quos vidit sol, innocentissimi: trimulus enim cœnobium petiuerat, duosque supra sexaginta annos intra monasterij septa vixerat, adeoque nec domesticorum pecorum figuras agnouerat, mente tam pura & candida vt solus nescire, quid dolus aut fraus esset, videretur. Ad hunc tenera se virtus Simeonis appli-

applicuit, quæ intra decennium inter octaginta sodales, adeo constanter adoleuit, vti mox omnes longis à tergo interuallis relinqueret, cum alij bidui duntaxat inediam ferrent, ille septendiali se ieiunio impransus & incænatus maceraret; quod ipsum alios, qui virtutem eius æquare non poterant, cruciabat. Adhæc palmeo fune præduro & aspero nudum corpus tam arctè strinxit, vt intra decimum diem exulcerata caro verminaret, sanieque computisceret, quod cum ex odoris graueolentia sentirent familiares, denunciata re cœnobiarchæ rudentem illi detraxerunt, vlceri tamen nullum passus est malagma admoueri. Sed cum alios atque alios modos se torquendi adhiberet, & reliqui non malæ mentis socij, propter animi tamen & corporis valetudinem, assequi Simeonis ascesin nullo modo possent, solem illum, cuius radios lusciosi ferre non poterant à sua sodalitate excluserunt. Sic enim comparati sumus, vt malimus à conspectu remouere laudem quam desperauimus, quàm eandem è propinquo cum assiduo nostro tormento contemplari. Proscriptus & profectus inde Simeon haud procul à phrontisterio, in cisternam arentem descendit, vbi securus & solus Deo operabatur, noctes & dies votis vni-

cè intentus. Præfectus interim monachorum internoctu cælestibus visis territus, quod Simeonem à cætu suorum dimisisset, iussit illico inquiri, ducibusq; pecoris magistris vsus repertũ ex alto terræ hiatu magno labore funibus extraxit, domumque suam reduxit, vbi tamen ille non diu moratus Telamessum vicum ad radices montis positum peruenit, ibiq; gurgustio forib' obstructis clausus quadraginta dies ad Mosis, Eliæ & Christi exemplum ieiunus perdurauit. Quem Bassus presbyter exacto tempore, perfracta ianua offendit humi fusum, exanimi similem, quod nec surgere posset, nec loqui. Reperit & decem panis orbes cum hydria fonte plena, intactos, tot enim illi Bassus in dies quadraginta dederat, qui spongia iacentis labra humectans, spiranti sacram synaxin porrexit, & oluscula pauca cum intubis lactucis sumsit, alterosque quadraginta dies ead. cibi abstinẽtia, & dein alteros duxit, donec ipsa inedia disceret inediam pati. Vsqueadeo nullum vitæ genus est tam horridum & asperum, quod vsu & adsuetudine non mitescat, & tolerabile fiat. Sed ad Simeonis ieiunium accedebat ingens assiduè standi labor. primis enim diebus stabat totis: deinde cum vires inedia labescerent assed t: demum

mum

anum sessione fatigatus postremis dieb' mortuo propior quam viuo etiam decumbebat. In hoc mapali & hac viuendi ratione triennium posuit. Dein ad rupem præcelsam paulo amplius nouem milliaribus Germanicis, siue trecentis stadiis (vt Euagrius præsens dimẽsus est, ex quo sua Nicephorus accepit, cuius interpres falsus est, cum pro trecẽtis legit triginta, In Euagrio enim græco legitur Τριακοσίοις) Antiochia distantem contendit, in qua reliquum vitæ tempus omne consumsit, sed non vna quadam ratione. Primũ enim fastigium montis, quod stadiis amplius viginti tollitur, septo ceu vallo in orbem cinxit, vincula dein ferrea viginti cubitorum adhibuit quorũ alterũ caput saxo ingẽti curauit appẽdi, alterũ pedi dextro applicuit, vt extra septũ volens etiam ponere vestigium nõ posset. Sed hac custodia Simeonem exemit Meletius maior Antiochiæ pontifex vir ingentis cõsilij & prudentiæ singularis, qui (vt Benedictus Martinũ Abbatẽ monuit) negauit opus esse compedibus ei, quẽ numinis amor loco affixisset, & affixum facile teneret. Soluente ergo à pede catenam fabro, sub consuta pellicula, qua crus munierat Simeon ne aspera scabrities ferri pedem abraderet, vidit Melitius nidificasse cimicum sordes, quę assiduè

duè Simeonis non prohibentis pedem depascebant, cum facile compressa manu pelle, omnes posset necare, sed contemsit minutarum bestiolarum morsus, quamuis molestos generosa Simeonis virtus, tamquam per minoris mali tolerantiam ad maiora patienda animum erudiret. Inter hæc passim dilata per omnes orbis oras fama de admiranda Simeonis ascesi, exciuit ex omnibus regnis & prouinciis spectatores noui in orbe miraculi, præsertim cum suffragatione numinis res efficeret Simeon, quæ naturæ leges & vires potentia longè excederent. Curabat enim mala corporis, quibus nullæ artes poterant mederi, & percussis neruorum stupore, vsum reddidit membrorum; imperrabat desperatos nuptis liberos; multò ante denunciabat, quæ regnis imminebant, secuturam famem, & ex fame quæ solent, corporum tabem, ex corrupto cælo pestilitatem, hostium item incursus, quos votis suis & lacrimis retardabat, feras etiam immanes & noxias linguæ telo confecit; latronem Ionathan, ad asylum columnæ profugientem seruauit, & illico mortuum cælo immisit. Quæ omnia tantam Simeoni conciliauere auctoritatem, vt instar accessus & recessus exæstuantis maris populorum frequentia inundaret

ret, tantaque erat opinio de sanctitate viri concepta, vt Romæ in omnium fere officinarum vestibulis & porticibus sigilla seu minutas icones, Simeonis os habitumque referentes exponerent, quibus sibi absentem repræsentarent, & absentis opem præsentem sentirent. Numerantur à Theodoreto inter eos qui Simeonem spectatum cultumq; venerant, Agareni, Persæ, Armenij, Hispani, Britanni, Galli, Iberes, Itali, Homeritæ, Latini, Græci, Barbari. Quorum hoc vnum erat studium, vt vestem sanctissimi viri contactu libarent, vnde sibi gratulari, magna se gratia dignatos existimabant. Quod adeo molestè tulit vir modestus, vt qui se vnum omnium infimum & indignissimum censebat, vt illam in columna peruigilem & perpetuam stationem excogitaret, primum vt ægrè corpori suo faceret, cui iam dudum crucem defixerat. dein vt secerneret se populo, cuius affluxu tanquam fluctibus tantum non obruebatur. Itaque in eo ipso loco, quem vallo munierat, in montis vertice columellam erexit, non altiorem pedibus nouem; mox alteram tanto excelsiorem; postea viginti duorum cubitorum; ac postremá sex & triginta: quamquam alij surrigant ad quadraginta, vt pedes esset alta sexaginta, tot enim efficiunt

cubita

ens esset, sineretur prosequi cœpta & firmaretur in instituta viuendi ratione; si refragaretur, anathematis fulmine percussus, vltro per vim detraheretur. Adeo vniuersus religiosorum Patrum senatus studium obsequendi certam esse notam vitæ rectè sanctéque institutæ decreuit. Simeon ergo à sanctis viris appellatus, cur trita à sanctis anachoretis via neglecta, ignotos calles peteret & auia ingrederetur? descenderet quamprimum & vestigia maiorum Patrum insistendo sequeretur; pedem alterum mox in gradus exposuit, illico sine vlla vel tergiuersatione vel disputatione descensurus. gratias insuper immortales Patribus egit, quod salutis suæ curam tantam suscepissent & se ex diuino nutu monuissent, ne quid contra mentem sententiamq; moliretur. Seniores vehementer tam prompto Simeonis obsequio delectati hortabantur descendentem, maneret in sua statione, placere Deo eius conatum, pergeret modo, & fortiter vrgeret cœpta, ad beatum finem laborum tantorum peruenturū. Quod lætus audiens Simeō, maximo animo prosecutus est studium perstandi & peruigilandi. Quærat fortasse iam lector nunquamne asséderit Simeon, an connixerit aliquando, & cibum sumserit, an etiam fessus decubuerit?

Extra

ſpectatore & remuneratore Deo dictitabat, vt illum in curru ſolis, quemadmodum olim Heliam in cælum deueheret, vti digna tantis ſudoribus præmia capeſſeret, proinde quadrigas aſcenderet, in cælum deportandus. Simeon precatus Numen, alterum pedem profert è ſtatione, currum ingreſſurus, ſimulque ſigno ſanctæ crucis Chriſtiano ſe more communit, cum extemplo phantaſma aurigatoris, & vehiculi in ventum & auram euaneſcit. quæ fraus adeo malè habuit deceptum Simeonem, vt in pœnam credulitatis, pedem protenſum toto anno non retraxerit, ſed altero ſolum totam corporis molem patientiſſimè ſuſtineret. Omiſit hoc Simeonis factum Theodoretus, quia vltimis vitæ annis euenit, cum Theodoretus iam dudum ante vixiſſet. Nec ſilentio tegendum fœdum vlcus Medicis Telephium ſeu Chironium dictum, quod ex femore eius erupit, vnde putris ſanies aſſiduè profluebat, ſordidique vermes inde nati tota columna vltro citroq; commeabant. cui nullam adhiberi medicinam paſſus, etiam colligi ſordes, & in ſinum vlceris reponi iubebat. pus nonnunquam in gemmas quoq; verſum, ſi verus eſt Antonius, legimus. Scio hæc modum fidei noſtræ ſuperatura, ſed Theodoretus & Antonius præſentes fue-

re spectatores atque testes. Iam & hoc narratur ab iisdem, à comite Theodoreti preces numeratas. Nam ab occaso sole per totam noctem & sequentem diem vsque ad nonam, quæ nobis hic est tertia pomeridiana, Deum precibus adibat, stando plerumque; frequenter etiam corpus adeo incuruando, vt fronte pedes contingeret: & fuit qui intra breue tempus numeraret adorationes huiuscemodi cum corporis totius inflexione mille ducentas quatuor & quadraginta. Nec est quod hæreas qua ratione potuerit corpus ad modum circuli velut in orbem cogere, & ore pedum vestigia libare, quod ægrè etiam tenui corpore faciunt adolescentuli, cum sessitando manibus pedum digitos conantur ad os intorquere. Theodoretus expedit quæstionem, cum subiicit id Simeoni non fuisse molestum, quod non esset ventrosus, vt hodie plerique sumus: nec cibum gustaret, nisi vice simplici per hebdomadem, quod perinde erat ac si nihil omnino sumsisset.

Porro Simeon extremam diei partem à nona ad noctis vsque confinium populo & saluti & aliorum impendebat, maximaque Reipub. commoda è columna tanquam ex alto suggestu concionabund⁹ pariebat, cum circumfusam columnæ multitudinem ad re-

rum

rum fugientium contemtionem hortaretur, cælumque suspicere & cælestia affectare iuberet; modoque destinata impiis supplicia inferorum perpetua proponeret; modò propositis æternorum gaudiorum præmiis ad vitam beatam ac immortalē inuitaret. Agebat quoque nonnunquam, altercantium precibus adductus, arbitrum inter litigantes: alias impiarum sectarum errores oratione refutabat; aliàs genticas & paganas superstitione refellebat, multosque Christo initiabat.

Nonnunquam reges & imperatores imperatricesque per litteras docebat, quid ex præscripto Dei esset faciendum. Nunc ipse ab orbis terræ præsidibus vel coram, vel per literas adibatur. Subiiciam epistolam Theodosij Arcadio nati ad Simeonem de pace inter Episcopos componenda datā, quam in AVLA SANCTA prætermisimus.

re ſpectatores atque teſtes. Iam & hoc narratur ab iiſdem, à comite Theodoreti preces numeratas. Nam ab occaſo ſole per totam noctem & ſequentem diem vſque ad nonam, quæ nobis hic eſt tertia pomeridiana, Deum precibus adibat, ſtando plerumque; frequenter etiam corpus adeo incuruando, vt fronte pedes contingeret: & fuit qui intra breue tempus numeraret adorationes huiuſcemodi cum corporis totius inflexione mille ducentas quatuor & quadraginta. Nec eſt quod hæreas qua ratione potuerit corpus ad modum circuli velut in orbem cogere, & ore pedum veſtigia libare, quod ægrè etiam tenui corpore faciunt adoleſcentuli, cum ſeſſitando manibus pedum digitos conantur ad os intorquere. Theodoretus expedit quæſtionem, cum ſubiicit id Simeoni non fuiſſe moleſtum, quod non eſſet ventroſus, vt hodie plerique ſumus: nec cibum guſtaret, niſi vice ſimplici per hebdomadem, quod perinde erat ac ſi nihil omnino ſumiſiſſet.

Porro Simeon extremam diei partem à nona ad noctis vſque confinium populo & ſaluti & aliorum impendebat, maximaque Reipub. commoda è columna tanquam ex alto ſuggeſtu concionabund⁹ pariebat, cum circumfuſam columnæ multitudinem ad rerum

rum fugientium contemtionem hortaretur, cælumque suspicere & cælestia affectare iuberet; modoque destinata impiis supplicia inferorum perpetua proponeret; modò propositis æternorum gaudiorum præmiis ad vitam beatam ac immortalē inuitaret. Agebat quoque nonnunquam, altercantium precibus adductus, arbitrum inter litigantes: alias impiarum sectarum errores oratione refutabat; alias genticas & paganas superstitione refellebat, multosque Christo initiabat.

Nonnunquam reges & imperatores imperatricesque per litteras docebat, quid ex præscripto Dei esset faciendum. Nunc ipse ab orbis terræ præsidibus vel coram, vel per literas adibatur. Subiiciam epistolam Theodosij Arcadio nati ad Simeonem de pace inter Episcopos componenda datā, quam in AVLA SANCTA prætermisimus.

THEODOSII AVGVSTI Epiſtola ad Simeonem Stylitam.

QVoniam quidem exploratum habemus, totam reuerentiæ tuę vitam ad Deum eſſe conuerſam, eaq; integritate vixiſſe adhuc; vt diuinam erga nos beneuolentiam certa quadam fiducia prouocare queas. nō potuimus in præſentia has ad te literas non perſcribere, teque etiam atq; etiam rogare, vt hoc pacis concordiæq; negotium, quod à diuina prouidentia verè dependet, hoc potiſſimum tempore quàm maximè promouere ſatagas; diſſidiumque diaboli technis paci rectè aliquando radicatæ & conſtitutæ, iniectum, confeſtim è medio tollere contendas. Id quòd tuæ ſanctitatis precibus, eiuſdemque apud illos, qui eam confirmare, diſſipatamque reſtituere poſſunt, hortatu impulſuq; confiſi, breui

futu-

futurum minimè dubitamus. Nam si Ioannes piissimus Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus, Nestorij, qui hasce cõtrouersias principio exsuscitauit, depositioni subscripserit, fidemq; fecerit, se nouo insanoq; dogmati in posterum non consensurum, neq; antea consensisse vnquam : diuulsorum membrorum vnio denuo subsequetur: quippe cum omnes in hoc conueniant, concurrantque. Si, inquam, Ioannes istud fecerit, religiosissimoq; Episcopo Cyrillo consenserit, quẽadmodum Occidentales & Constantinopolitani, reliquiq; omnes terrarum orbis Episcopi cum eo consentiunt: quæ quondam fuerant coniuncta, Dei benignitate rursum coalescent. Hanc namque molestiam turbamq; superuacanea parumq; vtilis, imò verò noxia doctrina nobis peperit: quæ quidem si per vestras preces explosa, proculque ab animis nostris eliminata fuerit, pacatos nos reddet,

diuinamque defensionem (vti speramus) nobis restituet. Nam contentio hæc & discordia adeò nos conturbat, vt existimemus primam præcipuãq; omnium nostrarũ calamitatum occasionem vel hanc vnam præbuisse.

Confidimus autẽ, regni nostri res consilio benignitatis & humanitatis Dei esse processuras, Ecclesiæ & Orthodoxæ fidei mẽbris vestro hoc egregio facto cõiũctis. Certa igitur pulcherrimum certamen, vt superes dæmonis conatus: hoc enim tibi maximè certamẽ imputabitur, & victoria summis viribus parta: quam adeptus, te ipsum secutus fueris; ea quæ profiteris, tum gerens, tum factis confirmans. Consuetis orationibus quæso nostrũ Imperium, quiq; ei parent sine intermissione Deo commenda: vt nobis, quorum omnis cura (quemadmodum conuenit) in pace religionis potissimum versatur, copiosa bona ab ipsius potestate suppeditentur.

Theo-

Theodosium vicissim Simeon de officio seuerè admonuit, cum ab eo declinaret. Lege Iudæis Antiochenis Synagogam à Christianis ablatam restituerat. Quæ res in detrimẽtum haud mediocre Christianorum vergebat Scripsit ad Theodosium liberè Simeon, ne plus faueret Iudæis quam Christianis Christianus Imperator, effecitq; vt Theodosius lege antiquata satisfaceret Christianis; patronum Iudæorum exueret potestate, seseq; totum in Simeonis poneret auctoritate, cuius vnicè vota expetebat.

Idem errantem Augustam Eudociam per S. Euthymium in viam reduxit. Idem multis paganis Christianam legem persuasit. Idem quotidie in ægris curandis ingentia mortalibus beneficia præstabat. Idem Sanctus Genouefam in Galliis versantem per nuncios salutauit, eique suos labores & pericula salutemq; commendauit. Idem velut vnicum orbis miraculum & oraculum ab omnib⁹ prope gentib⁹ consulebatur. Persarum quoque Imperator colebat Simeonem, & in omnia eius dicta factaq; studiosissimè inquirebat. Eiusdem coniux oleum illius verbis consecratum summa cum veneratione accepit, & aula Persica tota eandem ab eo gratiam precabatur. Agarenorum regina improlis

legatos misit, qui hæredem regni à Simeone impetrarent. Votis damnata regium ipsa puerum ad columnam attulit, & cum fæminis intra septa non liceret ingredi, per baiulos partum suum regium Simeoni obtulit, adiectisq; quantis potuit gratiis: Hunc, inquit, regem natum, vir sanctissimè, tuis precibus acceptum fero, tu illum è cælo votis tuis extorsisti, & in vtero meo potenti verbo tuo collocasti: bene precare illi vt olim iuxta mecum gratus tuum beneficiũ agnoscat, Deoq; simul & tibi vitam suam & regnum gratuletur. Poterant hæc tanta opera animũ non constantissimum inflare; Simeonis videbantur magis deprimere, adeo de se modeste sentiebat, vt omnium se postremissimũ iudicaret; non solum enim neminem aditu suo prohibebat, sed cum humillimis quibusque & abiectissimis promtissimè sermonem miscebat. quod haud ingratus beneficiorum omnium auctorem agnosceret Deum, eundemque fontem omnium bonorum profiteretur. Qui sensus viri non modo auctoritatem sanctitatis non imminuit, sed vel maximè auxit, eoque mentes hominum perduxit, vt dubitarent ex mortaliumné, an immortalium numero censendus esset. Venerat illius fama excitus ex Arabona vir bono lo-

no loco natus, & inter Christianos non infimis honoribus perfunctus, qui non poterat animum inducere, vt crederet Simeonem ex hominum stirpe oriundum; & progressus ad columnam collocutusque: Dic, per ego te quisquis es, inquit, Deum rogo, qui verus sanctusq; falli non potest, sed omnes ad veritatem duci cupit; Esne tu homo, vel natura aliqua cælestis & corporis expers? Molestè ferebant circumstantes intempestiuam, vt rebantur ipsi, quæstionem, sed obloquentes compescuit Simeon, & aduenæ, Quid est, inquit, quamobrem dubites? Quoniam, inquit, audio vulgo iactari, te nec esse, nec oculis vnquam conniuere, quorum vtrumque hominis natura tanquam debitum sibi pensum quotidie postulat, nec vllum vidi, qui vel dormiret nunquam, vel absque cibo posset vitam propagare. Age, inquit Simeon, gradibus scalarum admotis ascende. Exhibuit ergo obstupescenti primum tractabiles manus, mox vlcus etiam in femore seu pede immane palpandum tractandumq; attonito ostendit. qui plenus stuporis & admirationis ad Theodoretum retulit omnia, quæ cognorat, aliisque iuxta secum omnem dubitationis caussam ademit. Mittebat frequentem populum ad Sacerdotes, qui accedenti benè

precaretur. Vſu venit vt ad vnum olim Theodoretum à Simeone miſſi tanto numero venirent, vt opprimeretur à turbarum inundatione, cum alii à tergo vrgerent, alii à fronte traherent; alii circum latera vellicarent, alii cominus, alii eminus inſtarent, vt niſi Simeon, qui hæc ex columna ſpectabat, ingenti clamore barbaros coërcuiſſet, omnino eliſuri fuerint Theodoretum, & importunam pietatem in parricidium & ſacrilegium verſuri: quemadmodum & in ſe conuerſi ſubinde certabant pro ſancta Simeonis imprecatione, cum alteri alteris eandem inuiderent, & à Stylita conuitiis etiam fuerint appetendi, ne ferro inter ſe concurrerent, & ſibi ipſis exitium loco cæleſtis gratiæ, quam à viro ſancto expetebant, molirentur.

Iam illud nullo modo ſilentio eſt tranſmittendum, quod Simeon, poſtquam ſe Deo puer etiam deſponderat, nullius fœminæ conſpectum ferret, nullam ex propinquo intueretur: adeoque nec matrem etiam ex qua natus erat, intra ſepta columnæ vel ad baſin admitteret, quamuis illa multis lacrimis & precibus filij conſpectum eminus & colloquium enixiſſimè efflagitaret. Impetrauit tamen parenti Simeon, vti mox pro homine Deum ipſum cerneret, animo è corpore in

cælum

cælum euocato. Ad septum illud & columnam nec post Simeonis mortem mulier ausa fuit aspirare: si contra fecisset, illico mortua concidebat. Sic enim Gregorius Turonensis tradit. Simeon vero cōfessor, qui in columna pagi Antiochēsis dicitur stetisse, frequenter incolis tribuit sanitates. Et quia, vt legitur in eius vita libro, nullam vnquam mulierē post conuersionem oculis attentis inspexit: postquam verò Columnæ editiori se sanctitate feruens inuexit, non modo extraneæ mulieri, verū etiam nec propriæ matri se videndū permisit. Et nunc ergo locū ipsum ab huius sexus defensat accessu. Nam ferunt quandam mulierē indutam esse veste virili, & in basilicam ingredi voluisse Columnæ. Tractauit secum misera agere posse per indumentum, quod latere posset altissimum, ignorans illud Apostoli, quia Deus non irridetur. & licet ibi veniens ad templum erexit pedem, vt sanctum ingrederetur limen, tamen protinus retrorsum

ſum ruens, cecidit & mortua eſt: ſatiſque fuit populis ne huc vltra mulier vlla præſumeret ingredi, cum in iſtam cerneret vltiónem peſſimè irrogatam.

Appetebat demum felix ille dies, quo poſt tam longas & diuturnas in columna excubias, ad nunquam terminandam quietem proficiſceretur. Iam enim ad nonum ſupra centeſimum annum prouixerat, & omnem cæli inclemētiam corpore expertus, victor æſtus & algoris, famis ac ſitis omniumque animi & corporis cupiditatum, terror Acherontis, præſidium gentium, orbis terræ nouum & omnium maximum miraculum, vox publica mundi, regum & Imperatorum certiſſimū oraculum, omniumq; cælitum gaudium, & mortalium aſylum, relictis corporis exuuiis ad fructus laborum ſempiternos in cælum è columna omnium Chriſtianorum columen euolauit, corpore nec poſt mortē collapſo, quod in ſtatione, tanquam victor etiam ipſius mortis, ſtando perſtitit immotum. Cuius nuncius non ſolum afflixit Antiochiam, ſed orbem vniuerſum in luctum coniecit, qui illi lacrimis litauit. Sed vti mortalibus luctuoſus fuit illius exceſſus, ita illi glorioſus triumphus,

Non Ian. 460.

phus, quando à beatis cælitum legionibus cum ingenti comitatu honore & tripudio est ad summi Imperatoris regiam deductus, vti Daniel & Auxentius oculis spectauêre. Quę autem eius extremum diem secuta sint, ex Euagrio apponam, qui locum & mira de columna ac sidere ibi apparente, spectator ipse, curiose in hæc verba descripsit: Huius sanctissimum corpus, cum ex hac vita migrasset, tandem Antiochiam est translatum, cum Leo imperij sceptra moderaretur, & Martyrius Episcopatu Antiocheno fungeretur. Ardaburius autem Orientalium exercituum dux, vna cum militaribus ordinibus quos secum habebat, & reliquis in ipsa Mandra constitutus, pretiosissimũ corpus beati Symeonis, ne à vicinis ciuitatibus abriperetur, custodiuit. Cum maximis itaque miraculis, quæ in itinere quoquè edebantur, sacerrimum illius corpus Antiochiam deportatur, quod & Leo Imperator ab Antiochenis accipere petiit, ad quē Antiocheni preces obtendentes ad

hunc

hunc modum ſcripſerunt. Quoniam ciuitas noſtra muros non habet, ſunt enim illi per indignationem deiecti, ſacroſanctiſſimum hoc corpus adduximus, vt nobis & murus ſit & munitio. Imperator igitur huiuſmodi precibus motus, ſacrum illis corpus reliquit. Multa autem illius ad nos vſque ſeruata ſunt, cuius etiam ſacrum verticem cum multis ſacerdotibus vidi, cum celeberrimus Gregorius Epiſcopatu fungeretur, & Philippicus pretioſas ſibi ſanctorum reliquias ad cuſtodiam Orientalium expeditionum mitti peteret: Et quod mirabile erat, capilli capitis nondum corrupti, ſed perinde ſalui & incorrupti erant, atque fuerant, cum adhuc in viuis eſſet, & inter mortales commoraretur: denique cutis in fronte licet corrugata & emortua eſſet, erat tamen adhuc integra: & ex dentibus plures, qui manibus nondũ erant violenter exempti, ipſo aſpectu predi-

prædicabant, qualis ac quantus homo Dei Simeon fuerit. Adiacebat etiam ligamẽ ex ferro factum, cum quo gloriosum & laboribus perfunctum corpus honoris à Deo concessi factũ erat particeps. Simeonem enim mortuum quidem ferrum illud dilectum reliquit. Prosequerer autem singulorum istorum narrationem, non ad lectoris dumtaxat, sed & ad meam vtilitatem, nisi Theodoretus ea, sicut memini, fusius scripsisset. Sed age & aliud quiddam quod ipse conspexi historiæ huic adiiciam.

Cupiebam sancti huius videre delubrum. Distat autẽ illud à Theopoli stadiis ad summum triginta, in ipso montis vertice situm. Vocant illud eius loci incolæ Mandram, quam appellationẽ ei loco propter sacrosanctissimi Simeonis conuersationẽ relictam esse puto. Cliuus autẽ montis huius stadiis viginti extenditur. Structura templi instar crucis posita, & in

in quatuor lateribus porticibus columnæ ex lapide polito fabrefactæ, quibus ædificij culmen in ſublime erigitur. In medio atrium eſt ſub dio, maximo artificio extructum, in quo columna illa quadraginta cubitorũ conſiſtit; in qua angelus incarnatus cæleſtem vitam in terra peregit. In vertice porticuũ foramina ſunt, quæ nonnulli feneſtras vocant, cum ad atrium, tum ad porticus reſpondentia. In ſiniſtra parte columnæ, in ipſo foramine cum vniuerſo collecto illic agreſtium circa columnam ſaltantium populo ſtellam prægrandem vidi, quæ totam illam feneſtram penetrabat, ac perlucebat, idq; non ſemel, iterum ac tertiò, ſed frequenter, & ſi quando ceſſaſſet, rurſus continuo ac ſubito apparebat, id quod non niſi in memoriis ſancti huius fieri conſueuit. Sunt autem qui dicant (nec incredibile eſt hoc miraculum, cum ex auctoritate fide digna eorum, qui id dicunt;

cunt, tum ex aliis, quæ nos vidimus) quod & ipſius ſancti perſonam viderint, hac illac circumuolitantē, barbam habentem demiſſam, & caput, ſicuti conſueuerat, tiāra tectum. Et qui eo loco viri congregantur, liberè ingrediuntur, & columnam cum iumentis ſuis frequenter circumeunt. Cautum eſt autem diligentiſſimè, ignoro qua de cauſa, ne mulier aliqua intrò in ipſa adyta ingrediatur, ſed vt extra limina ſtantes de rebus mirandis obſtupeſcant. Eſt enim è regione ſplendeſcentis aſtri vna, ex ianuis, per quam conſpectus illius pateat.

Tenendum hoc, in Romana Eccleſia conſecratas illi Nonas Ianuarij; in Græca Calendas ipſas Septembris; nam quod Baronius die 24. Maij narrat, non eſt ad hunc, ſed iuniorem Simeonem Stylitam referendum, vti Menæa Græcorum, & Menologium teſtantur. De Martha tamen ambiguum eſt, huius an alterius Stylitæ fuerit mater; an idem vtriúſque parenti nomen, vti eſt Danielis? Menologium 24. Maij duos Stylitas confundit,

cum Theodoretū nominat etiam illius scriptorem, qui dudum antè defunctus erat.

DANIEL SECVNDVS Stylita.

II.

Metaphrastes.
11. Decemb.
Menaa.
Niceph.
Cedrenus.
Surius.

DAnielis acta ex Menæis reddam; qui Metaphrastæ Panegyricas conciones potius, quā vitas succinctè scriptas mauult, apud Surium legat. Addam Menæis pauca ex Nicephoro & Cedreno, ne quid desiderari possit.

Floruit Daniel imperante Leone Magno è Besso nato, oriundus ex Mesopotamia vico haud procul Samosetarum vrbe Bithacâ, Patre Elia, matre Martha. Quinquennis à parentibus ad asceterium Monachorum deductus, in religiosæ vitæ disciplina magnos fecit progressus, venitque ad S. Simeonem Styliten iam non tiro amplius, sed prope veteranus Christi miles, cui Simeon bene precatus est. Ductu postea Numinis in Thraciam ad confinia Constantinopoleos propter Anaplum delatus est, vbi seipsum in quodam deserto & profano larario inclusit, ingentesque cum infestis fani inquilinis dæmonibus pugnas commisit. Demum columnam

lumnam inſcendit, in qua magnam ex æſtu, frigoris, ventorumque & tempeſtatum procellis tolerantiæ materiam collegit. Cæterum cum inuſitatis miraculis orbem attonaret, Leo Imperator, & ſecundum hunc Zeno & Baſiliſcus tyrannus, illum cum ſingulari cultu & veneratione adierunt; quibus & futura aperuit, & hæreticorum vim repreſſit, & Eccleſiæ laboranti opem tulit; tandemque vita cum ſumma innocentia & ſanctitate traducta ad Dominum profectus eſt. Celebratur illius memoria in Anaplo. Hæc compendio Menæa.

Addit Metaphraſtes Danielem lacrimis infecundæ Matris à Deo extortum, cui etiam gemina ſidera ante conceptum Danielis quæ futuram eius claritudinem pollicerentur, per quietem diuinitus oſtenſa. Nomen quoque Danieli non ſine certa Numinis ſignificatione dictum à Vate Daniele: cuius vaticinia aperienti volumen ſacrum præfecto cœnobij occurrerunt. editus eſt anno Chriſti CCCCIX. Duodecenné poſtea religioniq; penitus addictum, Simeon Stylites præſenſit, prædixitque magnos labores pro Chriſto exantlaturum. Idem petenti Hieroſolyma iam defunctus, habitu ſenis incani ſe ſpectandum obtulit, iterque eius correxit ac

monuit, iret Constantinopolim, ibi res Deo grates, populo & Ecclesiæ salubres effecturũ. Bizantij in neglecta idololatrarum æde domiciliũ habuit, ex quo columnam conscendit eod. die quo Simeon in Syria è sua in cælum abiit; cuius meloten cum Sergius Simeonis cliens ad Leonem Imperatorem detulisset, atque ille aliis rebus occupatus neglexisset, ad Danielem gratum & sanctum munus peruenit, qui perinde vestem ac si ab Helia Elisæo esset transmissa, spiritus eiusdem pignus accepit. Erat illa columna posita in Anaplo ad ostium ponti, qui Constantinopoli abest stadia admodum septuaginta, si terra venias; mari, non amplius triginta quinque. Anaplum describit Procopius περὶ κτισμάτων Iustiniani, qui in Bosporo Thracico, vbi angustissimum est fretum, in vtroque littore ponit augustissima templa sancto Michaëli ἀσωμάτῳ ἀρχιστρατήγῳ explicat eundem Anaplum Petrus Gillius in Bosporo Thracico. Sozomenus Anaplum, nunc Estian, nunc Michaëlium; interpres Nicephori Transitũ appellat. Et in Metaphraste sunt hæc verba: Et cum in ostium Ponti esset ingressus eum excepit templum Michaëlis militiæ cælestis principis, quod illic pulchrè est positum: & septem illic dies est versatus. Inde transiit ad

Hieron

Hieron & Philemporum, vbi fanum erat Idolorum, vti iam eſt narratum. Vix pedem in columna poſuerat Daniel, cum tempeſtas ingens in illum excitata primum à Gelaſio toparcha, mox ab ipſo S. Gennadio pontifice Conſtantinopolitano. alter querebatur in ſolo ſuo, ſe inuito, ædificatam columnam; alter verebatur, ne Daniel æmulus Simeonẽ Stylitam, inanem populi captaret plauſum. Sed vtramq; procellam cōpeſcuit Deus miraculorum ſuffragatione, quæ Daniel paſſim obſtupeſcente ipſo Gennadio edebat. Sic in tempore Numinis prouidentia tuetur eos, qui ſe eius tutelæ commiſſerunt. Inter hæc venit Eudoxia Auguſta Eudociæ Auguſtæ filia ex vinculis Africanis emiſſa, quæ Danielẽ venerabunda reuiſens blandiſſimè ad commodiora nec minus ſilentio amica loca inuitat. Et quem nec Gelaſij importunitas, nec Gennadij ſanctitas auctoritate ſua detraxerat, fere fæmina piis ſuis blanditiis deduxiſſet. Perſtitit tamẽ heros veluti Capitolij immobile ſaxum, & Marpeſia cautes, nec deſcendit vnquam, niſi cum aut publica mundi calamitas, aut imminentia Eccleſiæ pericula cogerent athletam ad dies aliquot deſerta ſtatione in prælium contra impias ſectas deſcendere. Iam futuras incendiorum denun-

ciationes, Imperatoris preces, Danielis opitulationes & alia innumera opera cum Metaphrastes qui in manibus est, copiosissimè describat, labore supersedebo. Mihi nunc animus est ea legere, quæ vulgo vel nunquam, vel rarissimè sunt cognita. Cui Metaphrastes non sufficiet, addat licet Baronium Annali sexto. Decessit Daniel, cum Deo hostiâ incruentâ (nam & Sacerdotij honore clarus erat) litasset, & annum ageret octogesimũ. Duodecennis enim in cœnobio religionem professus; in ea perseuerauit annos nouem & triginta; nouem & viginti annis statorium in columna sustinuit certamen. Epigramma Cyri in Danielem cognosces in Aula sancta.

THEODVLVS STYlita.

III.

5. Decemb. [illegible] videtur 14. [illegible]

HIc imperante Theodosio Magno vixit, patriciæ stirpis, & præfectus prætorio; qui inculpatæ vitæ vir in coniugio agebat. Cum videret à magistratu omnia per rapinas, auaritiamque geri, præfectura se abdicauit. Vxore tandem etiam defunctâ, fortunas, quas amplissimas habebat, quingẽtas inquã, & quinquaginta auri libras, in pauperes est elargi-

55000. Philipp.

elargitus, Edessamque venit, vbi in columna quadam triginta ipsos annos vitam religiosam, & solitariam egit. Vnde magnis à Deo gratiis auctus, nihil amplius ex terrestri gustauit alimento; sed solo corpore & sanguine Christi diebus Dominicis, sanctaque oblatione est pastus. Perturbatus olim cogitationibus molestis auebat scire, eccui tandem ex gratis Deo seruis par esset iudicatus, audiuit se Cornelio mimo qui Damasci degeret, parem in regno Dei futurum. Quod responsum parum abfuit, quin illum in grauem animi perturbationem conijceret, quas illi hostis animorum insidias in exitiũ pararat. Venit ergo Damascum, Cornelioq; reperto, ad pedes accidit, rogauitq; vti sibi genus vitæ suæ, artionẽq; explicaret. Sed hic se infelicẽ esse peccatorẽ dictitabat, nihilq; præclari in vita gessisse. Vrgente altero & collacrimante sene, coactus dixit. Ego, pater, à prima ætate mimicam, scenicamque artem exercui, indeque mihi vitæ necessaria comparaui. Tandem, quamuis serò redij in memoriam, quæ designaui malorum, menteque futuri iudicij talionem perpendi, atq; deinceps me ab omni flagitio abstinui, vitamque integram institui, pauperum inopiæ subleuandæ pro facultate meâ addictus. Cum pater

amplius instaret, & illum sacramento adigeret, vti & reliqua aperiret, respondit Cornelius: Pronuper (sancte pater) illustris quædam matrona, qua opum & honorum, qua pudicitiæ laude spectabilis, viro à parentibus in matrimonium locata erat, qui per luxum & intemperantiam, non suum tantum, & vxoris patrimonium decoxerat, sed æs insuper graue per commessationes contraxerat. Hic à creditoribus in vincula tractus, cõiugem longo tempore immenso afflixit dolore. Cum enim infelicem in carcere fame propemodum enecari sciret, animum prope despondit. Cœpit tamen stipem cogere, animâ velut in trutinam depositâ, fluctuabũda, anxiáque ne pudicitiæ labem inferret, quod forma esset bona & integra. In hanc ego cum incidissem, statumq; vitæ, & causam didicissem, sanè vehementer animo commotus indolui, rogauiq; lacrimans, quantũ, inquam, mulier est æs alienum? Quadringenti, inquit illa, mi domine, sunt aurei. Ego cum opes meas omnes ad calculum vocassem, ducentos nõ amplius & triginta aureos reperi. Qui cum ad sortem non sufficerent, suppellectilem, & quę habebam preciosa, vestesq; ipsas, quas pulcherrimas compararã, venũ exposui, summamque inde collectam fœminæ in manus

manus cum hoc dicto tradidi. Accipe hæc mulier, & bona cum pace abi, virumq; è custodia libera, & clementiam numinis ex animo pro me precare, vt mei in extremo illo & decretorio iudicii die misereatur. His auditis Theodulus, gratiis Deo actis rursum columnam ascendit, nec diu superstes cum spe bona ad Dominum emigrauit.

ANONYMVS STYLITES, Simeonis iunioris Magister.

IIII.

DE hoc plura non leguntur, quam quæ ab Euagrio tradita sunt, hunc in columna ætatem degisse, & discipulum habuisse Simeonem alterum, quem ad columnam hoc miraculo monitus inuitarit: Cum adhuc, inquit Euagrius, valde tenella ætate esset, (Simeon) & puerorum more per montis iuga ludendo saltandoque oberraret, forte fortuna incidit in pardum, cuius collo cingulo circumiecto, eo velut freno bestiam, quæ iam suam feram naturam exuerat, ad

suum monasteriū secū duxit. Quod cum magister eius, qui ætatem agebat in columna, videret, percontatus quid esset: Respondit puer, ælurum, seu felem esse, quem vulgò cattum nominant. Hinc igitur coniecturam faciens quantopere virtute esset in posterum præstaturus, ad vitam in columna degendam eum induxit.

SIMEON STYLITES DIctus Iunior.

V.

24. Maij. Menæa. Vixit hic Iustini senioris imperio, natus Antiochiæ Syriæ, patre Ioanne Edessano, matre Martha; Antiochiæ eductus. Quæ sequūtur omnia miraculis plena, quæ partim accidisse illi, partim ab illo designata, omnia prope supra humanā conditionē dicuntur. Per preces enim in vtero conceptus est. Quin & priusquam conciperetur, Ioannes Baptista Christi prodromus, matri futuram pueri sanctimoniam prædixit. In lucem editus à sinistra matris papilla semper abstinuit, quod

quod certum erat argumentum puerum ad recta semper studia, declinatis omnibus prauis & sinistris actionibus, progressurum. Sexto porro ætatis anno, quo tempore propter animi imbecillitatem pueritia adhuc à seriis negotiis vacat, & temerè obuia consectatur: hic tamen omnibus præsentibus ac humanis rebus contemptis, montem conscendit, & breui tempore ad vitæ asperitatem, & omnia incommoda adsueuit. Vnde frequentibus dignatus Dei cælitumque aspectu & consuetudine, à quibus, propositis quæ sequenda essent studiis, quid agendum foret docebatur. Exinde quod supra naturæ conditionẽ est, non amplius humanis viuebat alimentis, sed cælesti pascebatur ambrosia, quoad vitæ modum faceret, atque ad Christum abiret. Sed hęc omnia cum innumerabilib⁹ eius miraculis, in historia largè exponuntur. Enimuero hoc vnum præ ceteris non tacendũ puto, quod à teneris relictis reb⁹ humanis, primũ cœnobiũ sit ingressus, in quod ex monte, quẽ sexennio toto incoluerat, vbi descendit; & columnã ascẽdit, in qua annos octodecim moratus, rursũ in admirandã rupẽ sterili saxo asperrimã digressus, decẽ ibidẽ annos posuit. Postea in tenui columna, annos quinque supra quadraginta traduxit, ita vt vniuersè

vitam

vitam ad quintum & octogesimum propagarit, ex quib' nouem supra septuaginta cælestium ritu sine mortali victu, in arcta religionis disciplina, & patientia transegit, & mortis somno potitus in cælitum ordinem, & censum est rescriptus.

ALYPIVS STYLITA.

VI.

ALypium ex Menæis ante præteritum nunc restituimus. Heraclio imperante nomen Alypii sæculis innotuit. Adrianopoli Paphlagoniæ felici satu editus, quando matri antè parturientis gemitus, per fausta signa cognitus est, quis, qualisque postea esset futurus: cum & hodiè illius patientia spectata & audita nos admiratione teneat. Visa est enim parens ipsius adhuc vterũ ferens, agnum gestare pulcherrimũ, qui ardentes in cornib' lampades haberet. Quæ non nisi futurã eius & virtutem & celebritatem nominis portendebant. Ergo Alypius se in genere disciplinæ religiosæ exercebat, & præter alia mira quæ patrabat, omnes certè tolerantia longè vincebat; tres enim & quinquaginta annos supra columnam tecto carentem, sub dio transegit: Et insidiis cacodæmonis velut alter Iob appeti-

appetitus, ac vulneratus tredecim annos ipsos alterno duntaxat latere constitit inclinatus. Dein altero, quoad dignam cælo animã Deo commendatam transmisit. Vixit annos centum.

Hæc Menæa, eademq; ferè paucis omissis Menologium. Mirificè me affecit hoc sidus, cum oculis meis, illustribus suis radiis illuxit, quod ferè extinctum antè, rursus incipit fulgorem, temporis vetustate hebetatum, spargere.

SIMEON STYLITA Fulminatus.

VII.

Iustus quacunq; morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sap. 4. Non est hæc nota impietatis aut sceleris, cum viri sancti inexpectato mortis genere, è medio tolluntur; siue apoplexia percellantur, seu fulmine sternantur, siue ruinis elidantur, seu pestilitate, fame, siti, ferro, igni, aqua extinguantur. Hoc caput est, vt ne te mors imparatum deprehendat. Non ignoro, paganis ominosum fuisse fulmen, & in vltricis pœnæ loco existimatum, vt est apud principem poëtarum de Gigantibus.

Hot

4. Æneid. *Hoc genus antiquum Terræ Titania pleres,*
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

Sic Æsopus, Salmoneus, Aiax Oilei, Phaëton, Æsculapius, & alij de cælo tacti leguntur.

Sed non idcirco deriuanda culpa ab vno aut altero punito, in omnes. Vltum it cælestis vindicta mortales immissa pestiletiã; nec tamẽ omnes, qui illa lue corripiuntur, impij, quod ipsum affirmare maximè esset impium.

Simeon ergo fulmine deiectus, eodem momento corporis vinculis non tam solutis quam ruptis in cælum euolauit. quod ipsum Iulianus Stylita (de quo mox infra) cognouit, cum eo ipso tempore suis sectatoribus præcepit, vt incenderent odores, quibus causam percontantibus: ecce, inquit, frater meus Simeon à fulgure deiectus interiit; & ecce anima eius transit cum tripudio & exultatione. Aberat autem Simeon à Iuliano viginti milliarium interuallo. Itaque reprime iudicium quando hic, ille, & quicunq; alius atroci genere mortis sublatus dicitur. Nullum mors facit impiũ; sed impia vita deprehensos inusitata via ad lethum ducit, nec id semper. sępè scelerati pacatè obeunt; innocentes cum ingenti tor-

mento.

mento. Enimuerò Simeon singulari voto hoc fulmen extorsit, vt videretur non sanctus, nec coleretur, vt qui tanquam noxius à cælestis iræ vindicta fuisset plexus.

IVLIANVS STYLITA.

VIII.

Hic ipse Iulianus est, quem in Simeone laudauimus, de quo Stephanus antistes & successor magni Sabæ narrauit Sophronio, leonem immani feritate, & mole ingenti feram, locum insedisse, quem Iulianus occupârat. ad quem cum passim aduenæ itarent, subindéque à peste illa necarentur; nec accolæ tutò domo pedem efferrent, veriti ne incurrerent in exitium: vt Iulianus hunc terrorem à peregrinis & incolis amoueret, vocato Pancratio discipulo imperauit, vt versus Austrum duo passuum millia feram in cubili iacentem quæreret, conceptisque verbis compellaret: Postremissimus Iulianus, ex auctoritate & nomine Christi Iesu tibi imperat, vt locum migres, & ab hac prouincia recedas. Abiit Pancratius, & mandata exhausit, leo loco quamprimum cessit, nec paruit amplius. Norunt parere nobis feræ, cum nos paremus Deo.

Idem

Idem Iulianus presbyterũ illũ, qui nunquã faciebat, nisi spectabilem se prius adesse Spiritus sanctus ostendisset, per discipulum iussit saluere, misso simul linteo, quo tres carbones ardentes concluserat. Mystes vbi illæsâ telâ ignem aspexit, remisit eandem aqua plenam. Intercapedo locorum erat passuum millium viginti.

Planè illustris fuit hic Iulianus, qui è columna præfect⁹ cœnobio, suis leges dicebat, & optima præcepta viuendi edebat, non tam verbo, quod solent multi, quam exemplo, quod pauci. Quare & virtus illum non præsentibus tantum, sed remotissimis etiam populis commendabat. Conuenit hunc inter alios Conon, cum geminis liberis; quorum Cyriacus morbo contactus immedicabili spem omnem medentium eluserat. Curatus cum Conone parente, & germano altero, noluit à vestigiis Iuliani, optimi corporum & animorum medici, frecedere, qui simul omnes, iussis valere rebus humanis, se illi ad omnem obsequelam auctorârunt. Receptos Iulianus ad omnem vitæ religiosæ disciplinam erudiuit, & Cononem præfecit rei frumentariæ: qua cum olim defectus esset, adiit Antistitem: Pater, inquit, frumentum desideratur. Et Iulianus: i, modo, inquit, frater & conuerte quod reperies

moli-

molitumq; pinse hodiè, de crastino prouidebit largitor omnium Deus. Conon quod sciret nihil in granario nisi puluerem relictum, mœstus abiit in suam cellam. Sed cum vrgeret necessitas religiosos fratres, citato demũ Cononi, abi, inquit Iulianus, & quod inueniés, in cibum para, vt habeant quod edant. Percitus ira Conon ad horreum properat, cuius dum aditum remotis vectibus molitur, ostia non potest aperire, mole frumenti, quo omnia plena sensit, etiam ianuis offusa. Quo Conon spectaculo attonitus, ad Iuliani pedes abiectus, supplex incredulæ contumaciæ veniam orauit, didicitque Deo, Deique familiaribus fidere.

STYLITÆ DVO ANOnymi.

IX.

Nihil sanctum, quod hæreticum. Impij *Io. Mosch.* Seueri nefarium dogma Orientem infecerat, magnumque non è plebe, sed ordine etiam sanctiore monachorum numerum inquinarat, adeo vt impietas per speciem pietatis celsas etiam columnas afflaret, & prosterneret. Aberant triginta millibus passuum Ægina Ciliciæ vrbe duo quidam cionitæ seu

Stylitæ, passibus inter se diuulsi non amplius sex millibus, ed fidei professione & dogmate infinitis interuallis. Alter enim Romanam sectabatur disciplinam, alter Seuerianos tuebatur errores, qui Catholicum miris conuitiis exagitabat, & sibi quasi magisterij ius in alterum vsurpabat, quod ante illum stationem in columna occupasset. Romanus suggerente bona mente & fide petiit à Seueriano crustum de Synaxi Seueriano, quod hæreticus lubens volens misit, iam sibi de alterius mutato animo gratulatus, quod certo crederet, eum in suas partes vel iam concessisse vel mox concessurum esse. Acceptam Catholicus panis execrati partē statim immisit feruenti ollæ, quæ subito elixa in aquam abiit: Dein & Catholicæ Ecclesiæ hostiam consecratam in eandem coniecit, cum subito testa ante feruore ebulliens, velut affusa frigida resedit; sacræq; Eucharistiæ forma intacta, integra, siccaque, & quasi nunquam tincta, ex illa est recepta, quam cum magna, vt par est, veneratione seruatam Sophronio postea Stylita præbuit videndam colendamque.

An Seuerianus calculum verterit, & à pertinaci mente destiterit, auctor in medio relinquit, de altero Seueriano itidem Stylita & S. Eu-

S. Euphæmio patriarcha & pontifice Antiocheno in viam reducto nunc expono.

STYLITA SEVERIAnus Miraculo correctus.

X.

EPhræmius ex comite Orientis Pontifex & Patriarcha Antiochenus, dubites an sanctior vel eruditior fuerit, de Stylita Seueriana peste laborante acceperat, qui non procul Hierapoli in columnæ statione peruigilabat, ad quem profectus Ephræmius, dolenti animo ferebat, tantos labores errore hæreseos corrumpi. Salutis ergo illius percupidus & anxius cœpit hortari à veritatis lumine exerrantem, vt damnatis erroribus vellet ad Ecclesiæ Apostolicæ gremium reuerti: sed negauit stylites sibi quidquam fore negotii cum synodo (Chalcedonensi) Ecquomodo, inquit patriarcha, sanabo morbum animi tui? Ecclesia sana & sancta est, & labes erroris in illa nulla est. Rogum, inquit stylita, excitemus, illumque ambo simul ingrediamur, quem flamma læserit, damnatus esto; quem intactum reliquerit, orthodoxus habetor. Existimabat stylites patriarchā

hac tam atroci flammarum denunciatione deterritum iri, ſed flamma non terruit Patriarcham, imò Patriarchæ conſtantia terruit Styliten; Ephræmius enim ſibi de ſua fide & virtute optimè conſcius admiſſa conditione; Oportebat quidem, inquit, fili mi, te meis admonitionibus locum dare, nec plura quærere: ſed quia tute hanc legem vtrique dixiſti, viribus quidem indignitatis meæ maiorem, fretus tamen Deo & cauſſæ bonitate ſalutiſque tuæ ſtudio, illam admitto. Laudetur Deus, ferantur ligna, ſuccendatur rogus. Flammis ergo crepantibus, propter columnam, deſcende, inquit patriarcha, iam ad me Stylita, feramus nos in medium incendium. Attonitus ad conſtantiam Pontificis hæreticus, non eſt auſus iudici & exploratori veritatis igni ſe committere nec deſcendere. Et Ephæmius, nonne tu hanc nobis conditionem tuliſti? quid ergo iam tergiuerſaris? Tū ſanctus pontifex detractam ſibi ſtolam cum hac precatione in ignem ſparſit. Chriſte ſancte noſtra cauſa noſtram naturam ex Virgine indute, ex virgine nate, exhibe nobis indicium veritatis. Arſit pyra tres ipſas horas, & materià in cineres redactâ, ſtola adeo intacta ab igne in igni iacuit, vt nec vlla in illa nota aduſtionis appareret. Quod vbi Stylites è ſub-

ſublimi loco ſpectaſſet, manus dedit, Seuero damnato Hæreſin eiurauit, & à ſanctis Ephræmij manibus ſanctam ſynaxin accepit, totumque ſe in eius poteſtatem addixit. Dedit hoc Deus pietati paſtoris, dedit ſaluti laborantis & errantis ouis, daret & hodie ſi pares inueniret pontifices, nec contumaciores hircos.

DE STYLITA EDESSENO, qui, quod germanū ſuum ſimplicem iudicârit, & contemſerit, quadraginta nouem annos in columna ſtetit, vt peccatum expiaret.

XI.

NOn memini intra multos annos tam illuſtrem legere hiſtoriam, quam tibi lector, ex Cimmeriis tenebris, & tinearum ludibrio erutam, cognoſcendam propinabo. Incidi in hanc, ductu credo boni cœlitis, dum Patricum Græcorum MS. ex illuſtri bibliotheca Reip. Auguſtanæ voluerem.

STYLITA Edeſſæ fuit, quem Theodorus, magnus eiuſdem vrbis Pontifex conuenit, rogauitque, quot annis eo in loco verſare-

tur, & quam vitæ rationem teneret, ne quid quod ad Dei Opt. Max. laudem pertineret, cælatum vellet? Hic ille ducto ex imo pectore suspirio, perfusus lacrimis, gemebundus, ego, inquit, sacratissime Pontifex, totum vitæ meæ statum ex re ipsa exponam. Tu porrò hæc ante in publicum non efferes, quàm ego è publico fuero sublatus & elatus.

Iam tum adolescens cum fratre natu maiore, res & spes omnes humanas & fallaces sponte animi abieci; cumque ambo in cœnobio triennium egissemus, quietæ solitudinis desiderio capti, de consilio religiosi Patris nostri, in siluam haud procul Babylone secessimus; specusque illic repertas non admodũ inter se abiunctas ingressis, terra herbarum dapes & glandes in victum suffecit, Festis diebus contulimus vota & mensas, Deumque largitorem nostrum & altorem toto sensu animoq; gratiis persolutis venerati sumus, rursumque digressi in suum vterq; se latibulum recepit, & rerum cælestium commentationibus, precationibusque vacauit: Quando verò pastus colligendi, vel corporis exercendi gratia per solitudinem ambulandum erat, seorsum vterque exibat in diuersa, vt alter ab altero semper vnum aut alterum milliarium distaret.

Comes

Comes nobis assiduus erat consolabundus Dei minister Angelus, qui nos in cœptis firmabat. Hic erat tum studiorum nostrorũ in silentio pietatis & religionis cursus. Cum vsuuenit, vti die quodam, nobis per vasta deserti incedentibus, viderem fratrem meum in saltu oberrantem, & non nisi vnicum à me stadium remotum, ac paululum procurrens anidmaduerterẽ illum ex inopinato restitantem, seseque signo crucis armantem, & locum illum ingenti saltu traiicientem, perinde ac si laqueum transiliret, suumque in spelæum reuertentem. Demiratus ego quid sibi frater illa celeri fuga & saltu corporis voluisset, lustrandi loci causa progressus, volebam nosse quid accidisset fratri. Veni & inueni ingentem illic auri aceruum, fusisque ad Deum precibus, exutum pallium, auro induo: Impleoque adeo, vt vix oneri ferendo essem, quod clam fratre in meam latebram intuli. Abeo deinde in vrbem, comparo locum vndequaque cinctum & munitum, intraque septa egregiè ad omnia opportunum, fonteque liquidissimo irriguum. Molior templum, omniq; sacro cultu exorno; cõdo monasterium, in eoque religiosos omnino quadraginta colloco; addo ad ægros curandos nosocomium; augeo cœnobium, & va-

letudinarium annuo censu. Præficio rebus omnibus rerum administrandarum peritũ, eiusq; curæ omnia committo, & ex reliqua pecunia bis mille aureos relinquo dimidium cœnobiarchæ; reliquum omne in miseros partior, mihi ad vsum nec vllum denariolum retineo, sed omnia in molitionem sacrarum ædium, in victum religiosorum, & egentium subsidium expendo, recensq; conditæ ædis præfecto salutem dico, & omnibus pacem imprecatus, ad desertum & silentium quietis fratrem quæsiturus redeo, dumq; per sola siluarum pergo, subit animum superba cogitatio, quæ identidem immurmurat cordi meo, fratrem meum, hominem antiquum & nimioperè simplicem esse, nescireq; literas, qui vti pecunia non potuerit, & tantæ rei iacturam fecerit; me præclarè rem gessisse, & magno consilio opus Deo gratissimum instituisse. Accedebam interim paulatim ad exercitationis nostræ palestras & cubilia, & iam eminus germani mei antrum spectanti, tumultuosisq; superbiæ, vt dixi, motibus fluctuanti, meq; fratri tanquam sapientiorem, & sanctiorem præponenti, occurrit ille familiaris nobis ab exordio cœptæ asceseos Angelus, & me atroci conterritans vultu, quid vana, inquit, tumes gloria, tibique de re

tanquam

tamquam præclarè gesta places plaudisq; ? Ego tibi veriora veris denuncio; omnes tuos labores, tantiq; temporis curas & sudores, omnes Ecclesiarum substructiones, molitiones monasteriorum & Xenodochiorum exædificationes, aurique in miseros elargitiones pia cautaque prouidentia tuo iudicio factas, nõ esse cum vnico illo fratris tui saltu, quo aggerẽ cumulũq; illũ deprehẽsi auri trãsiliit, conferendas; neq; enim aurum duntaxat, sed immane simul illud chasma, interuallumq;, quod inter epulonem & Lazarum intercedit, veluti pernicibus alis traiecit, & in sinum Abrahæ iam illi desponsum quodammodo transuolauit. Ille enim studuit se probare Deo, tu placere populo. Quare ille te sine vlla dubitatione melior, infinitis partibus antistat. Tu contra etsi illo longè inferior, procul ab illius virtute abes, superbè tamen te circumspicis, & illum germanum Christi agonistam fratrem tuum superciliosè contemnis, & vt simplici insultas. Ergo dum vixeris, illius aspectu frueris nunquã, & mea quoq; familiaritate priuaberis, quoad illam nouẽ & quadraginta annos assiduè gemẽdo, plorãdo, lugendoq; recuperaueris. Quando verò cæleste Numẽ multis lacrimis & animi afflictione tibi propitiatum reconciliaueris,

Impertitus es præterea gratia cognitionis, qua videas iustos & impios;illos quidem, vt spe vitæ æternæ in cœptis firmes; hos vt ab impietate & peccatis, precibus tuis & votis ad meliorem vitam & pœnitudinem traducas. Viuit verò & frater tuus, & pro salute tua Dominum deprecatur, quem studebis vt in altera vita omnis doloris & luctus exsorte complectaris. Ab illo igitur die datum mihi spectare Angelos, dæmonasque pellere. Nam quandocunque ad me accedit vir bonus & metuens Dei, cerno bonos cælites anteambulones, triumphantes & tripudiantes, luminaq; præferentes, & radiantibus fulgentes togis; impios autem Spiritus longo interuallo sequentes, vt qui nulla ratione audeant propius aspirare. *Beatus ergo qui timet Dominum, magna est enim gloria Domini super eum,* & copiosa gratia, seu diues seu pauper sit, nulla enim fortunæ ratio habetur, sed morum tantum studia & factorum opera spectantur. Infelix ille & miser, qui præcepta Domini nō custodit, sed peccatis & desideriis prauis implicatur: miser, inquam, hic est, etiam si omnibus rerum præsentium, copiis & opibus circumfluat. Quando enim eiusmodi ad me tendentem conspicio; totum agmen & examen damnatorum geniorum circumsepit illum.

lum,&premit,&vinculis constrictum tenet. Sanctus autem Angelus longè à tergo secutus plorat,& luget exitium illius. Quando verò aggrediuntur illum infausti comites, vt vel præcipitem deturbent in voraginem,aut in scrobem impellant, aut alia via in mortem agant, prohibet id custos illius sanctus, & stricto ferro insectatur illos & ferit, vt ritu pulueris à vento rapti differantur. Quæ ego cum specto iustis quidem applaudo,miserorum verò illorum sortem lamentor. Quod nisi à sospitatoribus nostris, Angelis sanctis, hostes & insidiatores vitæ nostræ prohiberentur, arcerenturq;,sceleratos extemplo necarent, mirum in modum illorum exitio inhiantes; sed vt dixi, coercentur ab Angelis sanctis, ne impetum in reos faciant, & mactent, donec definitum ab auctore mundi & rerum Domino arbitroq; cuiusq; vitæ tempus decurrat. expectat enim clementia diuina impium, vt ad se redeat, & mores emendet, pro noxis satisfaciat, ad quam rem illi moram indulget,& amplius pronunciat,nec patitur à generis nostri parricida hominem impunè abripi, vt qui nec illius sit, nec ab illo liberatus nec seruatus.Hæc & huiuscemodi tam salutaria inter se tota nocte collocuti,vbi diluxit,persolutis Deo primis votis inter se

Stylitæ, passibus inter se diuulsi non amplius sex millibus, ed fidei professione & dogmate infinitis interuallis. Alter enim Romanam sectabatur disciplinam, alter Seuerianos tuebatur errores, qui Catholicum miris conuitiis exagitabat, & sibi quasi magisterij ius in alterum vsurpabat, quod ante illum stationem in columna occupasset. Romanus suggerente bona mente & fide petiit à Seueriano crustum de Synaxi Seueriano, quod hæreticus lubens volens misit, iam sibi de alterius mutato animo gratulatus, quod certo crederet, eum in suas partes vel iam concessisse vel mox concessurum esse. Acceptam Catholicus panis execrati partẽ statim immisit feruenti ollæ, quæ subito elixa in aquam abiit: Dein & Catholicæ Ecclesiæ hostiam consecratam in eandem coniecit, cum subito testa ante feruore ebulliens, velut affusa frigida resedit; sacræq; Eucharistiæ forma intacta, integra, siccaque, & quasi nunquam tincta, ex illa est recepta, quam cum magna, vt par est, veneratione seruatam Sophronio postea Stylita præbuit videndam colendamque.

An Seuerianus calculum verterit, & à pertinaci mente destiterit, auctor in medio relinquit, de altero Seueriano itidem Stylita &

S. Eu-

S. Euphæmio patriarchâ & pontifice Antiocheno in viam reducto nunc expono.

STYLITA SEVERIAnus Miraculo correctus.

X.

EPhræmius ex comite Orientis Pontifex & Patriarcha Antiochenus, dubites an sanctior vel eruditior fuerit, de Stylita Seueriana peste laborante acceperat, qui non procul Hierapoli in columnæ statione peruigilabat, ad quem profectus Ephræmius, dolenti animo ferebat, tantos labores errore hæreseos corrumpi. Salutis ergo illius percupidus & anxius cœpit hortari à veritatis lumine exerrantem, vt damnatis erroribus vellet ad Ecclesiæ Apostolicæ gremium reuerti: sed negauit stylites sibi quidquam fore negotii cum synodo (Chalcedonensi) Et quomodo, inquit patriarcha, sanabo morbum animi tui? Ecclesia sana & sancta est, & labes erroris in illa nulla est. Rogum, inquit stylita, excitemus, illumque ambo simul ingrediamur, quem flamma læserit, damnatus esto; quem intactum reliquerit, orthodoxus habetor. Existimabat stylites patriarchā

hac tam atroci flammarum denunciatione deterritum iri, sed flamma non terruit Patriarcham, imò Patriarchæ constantia terruit Styliten; Ephræmius enim sibi de sua fide & virtute optimè conscius admissa conditione: Oportebat quidem, inquit, fili mi, te meis admonitionibus locum dare, nec plura quærere: sed quia tute hanc legem vtriquē dixisti, viribus quidem indignitatis meæ maiorem, fretus tamen Deo & caussæ bonitate salutisque tuæ studio, illam admitto. Laudetur Deus, ferantur ligna, succendatur rogus. Flammis ergo crepantibus, propter columnam, descende, inquit patriarcha, iam ad me Stylita, feramus nos in medium incendium. Attonitus ad constantiam Pontificis hæreticus, non est ausus iudici & exploratori veritatis igni se committere nec descendere. Et Ephæmius, nonne tu hanc nobis conditionem tulisti? quid ergo iam tergiuersaris? Tū sanctus pontifex detractam sibi stolam cum hac precatione in ignem sparsit. Christe sancte nostra causa nostram naturam ex Virgine indute, ex virgine nate, exhibe nobis indicium veritatis. Arsit pyra tres ipsas horas, & materià in cineres redactâ, stola adeo intacta ab igne in igni iacuit, vt nec vlla in illa nota adustionis appareret. Quod vbi Stylites è sub-

ſublimi loco ſpectaſſet, manus dedit, Seuero damnato Hæreſin eiurauit, & à ſanctis Ephræmij manibus ſanctam ſynaxin accepit, totumque ſe in eius poteſtatem addixit. Dedit hoc Deus pietati paſtoris, dedit ſaluti laborantis & errantis ouis, daret & hodie ſi pares inueniret pontifices, nec contumaciores hircos.

DE STYLITA EDESSENO, qui, quod germanũ ſuum ſimplicem iudicârit, & contemſerit, quadraginta nouem annos in columna ſtetit, vt peccatum expiaret.

XI.

NOn memini intra multos annos tam illuſtrem legere hiſtoriam, quam tibi lector, ex Cimmeriis tenebris, & tinearum ludibrio erutam, cognoſcendam propinabo. Incidi in hanc, ductu credo boni cœlitis, dum Patricum Græcorum MS. ex illuſtri bibliotheca Reip. Auguſtanæ voluerem.

STYLITA Edeſſæ fuit, quem Theodorus, magnus eiuſdem vrbis Pontifex conuenit, rogauitque, quot annis eo in loco verſare-

tur, & quam vitæ rationem teneret, ne quid quod ad Dei Opt. Max. laudem pertineret, cælatum vellet? Hic ille ducto ex imo pectore suspirio, perfusus lacrimis, gemebundus, ego, inquit, sacratissime Pontifex, totum vitæ meæ statum ex re ipsa exponam. Tu porrò hæc ante in publicum non efferes, quàm ego è publico fuero sublatus & elatus.

Iam tum adolescens cum fratre natu maiore, res & spes omnes humanas & fallaces sponte animi abieci; cumque ambo in cœnobio triennium egissemus, quietæ solitudinis desiderio capti, de consilio religiosi Patris nostri, in siluam haud procul Babylone secessimus; specusque illic repertas non admodũ inter se abiunctas ingressis, terra herbarum dapes & glandes in victum suffecit. Festis diebus contulimus vota & mensas, Deumque largitorem nostrum & altorem toto sensu animoq; gratiis persolutis venerati sumus, rursumque digressi in suum vterq; se latibulum recepit, & rerum cælestium commentationibus, precationibusque vacauit: Quando verò pastus colligendi, vel corporis exercendi gratia per solitudinem ambulandum erat, seorsum vterque exibat in diuersa, vt alter ab altero semper vnum aut alterum milliarium distaret.

Comes

Comes nobis aſſiduus erat conſolabundus Dei miniſter Angelus, qui nos in cœptis firmabat. Hic erat tum ſtudiorum noſtrorũ in ſilentio pietatis & religionis curſus. Cum vſuuenit, vti die quodam, nobis per vaſta deſerti incedentibus, viderem fratrem meum in ſaltu oberrantem, & non niſi vnicum à me ſtadium remotum, ac paululum procurrens anidmaduerterẽ illum ex inopinato reſtitantem, ſeſeque ſigno crucis armantem, & locum illum ingenti ſaltu traiicientem, perinde ac ſi laqueum tranſiliret, ſuumque in ſpelæum reuertentem. Demiratus ego quid ſibi frater illa celeri fuga & ſaltu corporis voluiſſet, luſtrandi loci cauſa progreſſus, volebam noſſe quid accidiſſet fratri. Veni & inueni ingentem illic auri aceruum, fuſiſque ad Deum precibus, exutum pallium, auro induo: Impleoque adeo, vt vix oneri ferendo eſſem, quod clam fratre in meam latebram intuli. Abeo deinde in vrbem, comparo locum vndequaque cinctum & munitum, intraque ſepta egregiè ad omnia opportunum, fonteque liquidiſſimo irriguum. Molior templum, omniq; ſacro cultu exorno; cōdo monaſterium, in eoque religioſos omnino quadraginta colloco; addo ad ægros curandos noſocomium; augeo cœnobium, & va-

letudinarium annuo censu. Præficio rebus omnibus rerum administrandarum peritũ, eiusq; curæ omnia committo, & ex reliqua pecunia bis mille aureos relinquo dimidium cœnobiarchæ; reliquum omne in miseros partior, mihi ad vsum nec vllum denariolum retineo, sed omnia in molitionem sacrarum ædium, in victum religiosorum, & egentium subsidium expendo, recensq; conditæ ædis præfecto salutem dico, & omnibus pacem imprecatus, ad desertum & silentium quietis fratrem quæsiturus redeo, dumq; per sola siluarum pergo, subit animum superba cogitatio, quæ identidem immurmurat cordi meo, fratrem meum, hominem antiquum & nimioperè simplicem esse, nescireq; literas, qui vti pecunia non potuerit, & tantæ rei iacturam fecerit; me præclarè rem gessisse, & magno consilio opus Deo gratissimum instituisse. Accedebam interim paulatim ad exercitationis nostræ palestras & cubilia, & iam eminus germani mei antrum spectanti, tumultuosisq; superbiæ, vt dixi, motibus fluctuanti, meq; fratri tanquam sapientiorem, & sanctiorem præponenti, occurrit ille familiaris nobis ab exordio cœptæ asceseos Angelus, & me atroci conterritans vultu, quid vana, inquit, tumes gloria, tibique de re

tamquam

tamquam præclarè gesta places plaudisq; ? Ego tibi veriora veris denuncio; omnes tuos labores, tantiq; temporis curas & sudores, omnes Ecclesiarum substructiones, molitiones monasteriorum & Xenodochiorum exædificationes, aurique in miseros elargitiones pia cautaque prouidentia tuo iudicio factas, nõ esse cum vnico illo fratris tui saltu, quo aggerẽ cumulũq; illũ deprehẽsi auri trãsiliit, conferendas; neq; enim aurum duntaxat, sed immane simul illud chasma, interuallumq;, quod inter epulonem & Lazarum intercedit, veluti pernicibus alis traiecit, & in sinum Abrahæ iam illi desponsum quodammodo transuolauit. Ille enim studuit se probare Deo, tu placere populo. Quare ille te sine vlla dubitatione melior, infinitis partibus antistat. Tu contra etsi illo longè inferior, procul ab illius virtute abes, superbè tamen te circumspicis, & illum germanum Christi agonistam fratrem tuum superciliosè contemnis, & vt simplici insultas. Ergo dum vixeris, illius aspectu frueris nunquã, & mea quoq; familiaritate priuaberis, quoad illam nouẽ & quadraginta annos assiduè gemẽdo, plorãdo, lugendoq; recuperaueris. Quando verò cæleste Numẽ multis lacrimis & animi afflictione tibi propitiatum reconciliaueris,

tum dabo me rursum in conspectum, eodem quoque optabili prædicandoque die beata consolatione delinieris.

Quibus denunciatis è conspectu subductus ille sublimis abiit. Ego mox ad fratris speluncam properaui, illoque non reperto in lamentabiles voces erupi, meamque infelicis sortem eousq; deploraui, quoad totum lachrimarum fontem exhaurirem. Totam ergo hebdomadem in saltu illo ita traduxi, angelo meo supplex, vt tandem flexus, respiceret tot gemitus; tot lachrimis ad clementiam & misericordiam commoueretur, memorando etiam (vt facilius veniam impetrarem) fratrẽ & fraternũ amorẽ, veteremq; inter nos vsum studiũq; religiosæ exercitationis. Septima tandem luce attonuit me vox à cælite profecta: Eundum est, inquit, tibi in vrbem, & columna ad S. Georgium insistenda, vbi discas te ipsum nosse, donec propities tibi dominum. Extemplo igitur profectus flens, gemensque relicta veteri statione nostra, pedibus intra quadragesimũ diem huc (Edessam) perueni, columnamque hanc ingressus conscendi, quadraginta nouem annos hic in silentio versatus, ingentia cum perduellibus Dei hostibusque mortalium Dæmonibus certamina præliaque expertus.

Erat

Erat tum offusa menti densa quædam caligo, & illætabilis tristitia obsidebat pectus. Ipso verò iam quinquagesimo anno, die Sabbati cum aduesperasceret, appetente iam Dominica, amœnissima lux circumfulsit cor meũ, & molestiarum omnium nubes abstersit. Nocte igitur illa tota insomni ducta, in cordis quiete, lachrimis cælesti voluptate plenis inundatus, albescente iam die, & clarum lucẽte, circa tertiam matutinam, precanti mihi adest demum etiam Angelus, & : Pax tibi, inquit, à Christo, pax & salus. Hic ego gaudio iuxta ac lacrimis perfusus accido illi, & : Vt quid, inquam, me desertum tot annos, bone custos iuisti, penitusq; à conspectu tuo repulisti? Fratrẽ meum à me seiunxisti, & ipse te à me penitus abstinuisti? Eheu quot periculis ego, & quot, ac quàm intolerabilib⁹ tentationum fluctibus conflictatus sum. Tum Angelus me, prensa dextra, erexit, & : Propter arrogantiam, inquit, tuam, & quod fratrẽ præ te contemseris abiecerisq;, subtraxi me oculis tuis, non tamen ab animo, quem inaspectabilis semper custodiui, fouique, prout mihi Dominus dederat in mandatis: Nunc autem *in humilitate tua memor fuit Dominus tui*, & misit me, vti nunquam amplius recedam abs te, neq; in præsenti vita, neq; in futura.

Impe-

Impertitus es præterea gratia cognitionis, qua videas iustos & impios; illos quidem, vt spe vitæ æternæ in cœptis firmes; hos vt ab impietate & peccatis, precibus tuis & votis ad meliorem vitam & pœnitudinem traducas. Viuit verò & frater tuus, & pro salute tua Dominum deprecatur, quem studebis vt in altera vita omnis doloris & luctus exsortem complectaris. Ab illo igitur die datum mihi spectare Angelos, dæmonasque pellere. Nam quandocunque ad me accedit vir bonus & metuens Dei, cerno bonos cælites anteambulones, triumphantes & tripudiantes, luminaq; præferentes, & radiantibus fulgentes togis; impios autem Spiritus longo interuallo sequentes, vt qui nulla ratione audeant propius aspirare. *Beatus ergo qui timet Dominum, magna est enim gloria Domini super eum,* & copiosa gratia, seu diues seu pauper sit, nulla enim fortunæ ratio habetur, sed morum tantum studia & factorum opera spectantur. Infelix ille & miser, qui præcepta Domini nō custodit, sed peccatis & desideriis prauis implicatur: miser, inquam, hic est, etiam si omnibus rerum præsentium, copiis & opibus circumfluat. Quando enim eiusmodi ad me tendentem conspicio; totum agmen & examen damnatorum geniorum circumsepit illum.

lum,&premit,&vinculis constrictum tenet. Sanctus autem Angelus longè à tergo secutus plorat,& luget exitium illius. Quando verò aggrediuntur illum infausti comites, vt vel præcipitem deturbent in voraginem,aut in scrobem impellant, aut alia via in mortem agant, prohibet id custos illius sanctus, & stricto ferro insectatur illos & ferit, vt ritu pulueris à vento rapti differantur. Quæ ego cum specto iustis quidem applaudo,miserorum verò illorum sortem lamentor. Quod nisi à sospitatoribus nostris, Angelis sanctis, hostes & insidiatores vitæ nostræ prohiberentur, arcerenturq;,sceleratos extemplo necarent, mirum in modum illorum exitio inhiantes; sed vt dixi, coercentur ab Angelis sanctis, ne impetum in reos faciant, & mactent, donec definitum ab auctore mundi & rerum Domino arbitroq; cuiusq; vitæ tempus decurrat. expectat enim clementia diuina impium, vt ad se redeat, & mores emendet, pro noxis satisfaciat, ad quam rem illi moram indulget,& amplius pronunciat,nec patitur à generis nostri parricida hominem impunè abripi, vt qui nec illius sit, nec ab illo liberatus nec seruatus.Hæc & huiuscemodi tam salutaria inter se tota nocte collocuti,vbi diluxit,persolutis Deo primis votis inter se

ter se consalutant, & Pontifex à STYLITA digressus sibi gratulabatur, quòd in tam sanctum virum incidisset.

Hæc propè ad verbum ex Patrico Græcorum paucis viso, paucioribus lecto, decerpsi, vnde discas de te modestè sentire, neminem nisi te, & aurum iuxta tecum contemnere, pios venerari, impios & deploratos cum Angelis lugere, & omnibus viis ad viam virtutis reuocare.

LVCAS STYLITA.
XII.

QVæ ante hac sidera in obeliscis & colossis spectanda proposuimus, omnia admodum in oriente nata ortaque sunt, nec memini in occidente vllum vnquam effulsisse. Orientis hoc decus est Ecclesiæ, ex quo & Lucas nouus hic stator extitit, imperante Romano seniore cum Constantino perphyrogenneto genero, ipsius Leonis philosophi filio. Patrem habuit Christophorum, matrem Calen. Indictum Bulgaris bellum, traxit & Lucam secum in aciem. Commisso prælio & robore militum cæso, ac copiis omnibus ferè ad internecionem deletis, Lucas diuino seruatus nutu, cælesti militiæ in religiosorum Patrum cœtu nomen dedit, apud quos

quos tantum profecit, vti honore ſacerdotij initiaretur, cum ille interim ferreo catenarum nexu corpus attereret, & ſexdiali inedia emaciaret, nec præter oblatum in liturgia panem & cruda oluſcula quicquam in menſam adhiberet, vel admitteret, Mox & columnam conſcendit, in qua triennium perſiſtens, iuſſu Numinis petiit montem Olympum, & lapidem in os cami freniue loco iniecit. Inde Conſtantinopolim venit, ac demum Chalcedonem, vbi rurſum pilam aſcendit, in qua operum mirabilium patrator, quinq; ſupra quadraginta annos perſeuerauit, ex qua feliciter confecto agone certaminis ad agonothetam emigrauit.

ALIVS STYLITA.

XIII.

AVctor eſt Athenogenes, Epiſcopus Petræ, vixiſſe in ſua prouincia ſtatorem columnarium, qui cum aduentoribus è columna ſermonem miſcebat, nec ſcalam adhibebat. Quod ſi quis vellet cum illo animi ſui arcana communicare, velle dicebat, qui ſtabat infra, ſe illi cogitationes aperire. Tũ Stylita preſſiore voce iubebat illũ ad gradus columnæ accedere, ipſe ad diuerſam columnæ partem digreſſus, ita cum illo conferebat ſermonem.

monem, vt qui propter adstarent, adeoque columnam circumstarent, nō audirent quid ille è superiore loco cum infra stante loqueretur. Ipsis solis inter se & audientibus intelligentibusq; , natura stupente quomodo palam inter se verba vltro citroq; mitterent, quæ præter ipsos nemo præsens, quamuis probè auritus acciperet. Sed quam Deo familiaris idem Stylita fuerit, inde licet cognoscere, quod arcana numinis decreta nō ignorârit. Duo quidam erant longa & quotidiana necessitudine inter se deuincti, qui quotannis ad hunc vna visendum proficiscebantur. Alter tamen illorum absque commilitone quondam illum conuenire statuerat, & cum ad fores semel, iterum ac tertio pulsaret, nec responderet Stylita, nec admitteret, post duas tresuè horas præstolandi tædio victus abscessit. Digredienti occurrit suus ille familiaris, & ipse Stylitam conuenturus, qui socium secum ad eundem reduxit, vti quemadmodum antea consueuerant, ambo simul ingrederentur. Ergo ianuam cædentibus, Stylita, qui posterior, inquit, venit, prior & solus ingrediatur. Admissus posterior rogauit Stylitã, vt & comitẽ suũ q̃ prior venerat, admitteret; abnuenti instabat enixè, tandemq; necquicquam vrgenti precantiq; : Quomodo, inquit

inquit Stylita, possum ego recipere eum, quẽ abiecit Deus? Nec vrsit vlterius recusantem, sed cum socio reuersus domũ, mæstum quidem Stylitæ oraculum tacuit, sed alter post biduum subito extinctus ad inferos est profectus. Multi affectamus sanctorum familiaritatem, & colloquium, sed pauci virtutem æmulamur, Hoc tantum cum vate dico.

"Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα

Adspiciunt oculis superi mortalia iustis

Benè merenti benè profuerit, malè merenti par erit.

--------ὁ γὰρ θεὸς οἶδε δικάζειν, *æquus iudex Deus est.*

DE SANCTIS CLAVSIS.

CAPVT V.

Est hoc ferè genus hominum religiosorum, cum senescente paullatim mundo consenuit, quorum olim magna passim per omnem orbem Christianum frequentia fulgebat, qui in mediis vrbibus extra vrbes, in mundo extra mundum, mortui ante mortem, & antè sepulturam quodammodo sepulti, tenebris, &

turribus, & ſpelæis, & conditoriis, ædiculis & caſis, quas clauſulas appellabant, vel incluſoria, concluſi; qui non ſolum omnia corporis gaudia à ſe excluſerunt, ſed corpora ipſa intra anguſtias ſeptorum & clauſtra domorum incluſerunt, vbi in vmbra mortis de morte præſenti, & futura vita meditabantur. Audiebant, incluſi, vel recluſi, vel clauſi, nobis Klauſner appellati. Sed vt dixi & hæc religio, vt omnia ſenſim fortia maiorum exempla intermoriuntur, cùm ſanctis viris fœminiſque penè tota ſepulta eſt.

Non eſt hic conſiliũ tradere vitas religioſarum virginũ, aut religioſorũ ſimul in vno cõtubernio degẽtiũ, quamuis extra communis tecti limina nunquã egredi ſolitorũ, vti hodiè cætus virginũ non pauci, quod gratulandũ Eccleſiæ, (vtinam poſſim de ſingulis, qui nulli fortè ſuperſunt, gratulari) & olim etiam virorũ, quale fuit Iſidori, mille admodũ ſanctiſſimis viris præfecti, quorum nemo vnquã (præter eum, qui ianuæ tutelam gerebat, & alterum preſbyterum, qui ex vrbe opſonia domum deferebat) veſtigium extra collegiũ ponebat, quoad animus è corporis vinculis expeditus liber in cælum euolabat. Et quod admirabilitatem auget; nemo ex omni illo patrum concilio vnquam ante mortẽ æger

decum-

decumbebat, ſed cum ad vltimam vitæ lineam perueniſſent, monebant ſani ſanos ſe vitam migraturos. Omnes thaumaturgi erant; omnes mira factitabant, quæ natura ipſa ſuæ imbecillitatis conſcia mirabatur. Illos duntaxat hic collocamus, qui ſoli & vnici vel gurguſtiis ſe incluſerunt, vel in tumulos abdiderunt, vel turribus tanquam cuſtodiis includi ſe curârunt, vel in ſpelæa & latibula ferarum irrepſerunt. Itaq; non complector hic anachoretas & Patres, in ſolitudinum quidem ſilentio degentes, ſed qui certis diebus conueniebant, aut pabulatum exibant, aut aliorum cellas luſtrabant, aut conuentus celebrabant, quorum quidem admodum innumerus erat numerus. hi longè rariores: aliqui tamen ſparſim & paſſim in orbe viſendi, quorum longè antiquiſſimus fuit Paulus, quem mox infra collocabo. Nam quis auctor & primus in hanc difficilem palæſtram ſit ingreſſus, in medio relinquo. Hoc non dubius audeam affirmare, huius vitæ initia & fundamenta quædam iacta, ſub ipſis Chriſtianæ diſciplinæ cunabulis, cum tyrannorum in ſanguinem Chriſtianum ſæuiret immanitas, quando crudelitatem ſuppliciorũ fugitantes, in latebras ſe Chriſti ſectatores abdebant: quæ vis etiam Ioannem

Christi prodromum expulit in desertum; cumHerodis inaudita barbaries omnem stirpem virilem vix dum natam propter Christum ad cædem & necem quæsiuit. Ioannes enim quamuis in Iudææ montanis degeret, propter miracula tamen in natali eius facta, quæsitus ad cædem fuit. Eadem attrocitas & impietas Iudæorum coëgit multos fugam capessere, & in siluis se condere, cum veluti feræ vndiq; ad exitium à Iudæis vestigarentur. Quod & S. Paulus ille mundi Ecclesiastes docet, cum id Hæbreis obiectat. Alij

Cap. 11. verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & cauernis terræ. Ita paulatim ad quæ confugerant cubilia ferarum, retinuerunt, & in vsum domicilij verterunt, ex quib⁹ nonnulli nunquam amplius emerserunt.

Iam Paulus qui princeps anachoretarum numeratur, tali tyrannorum tempestate ex populi frequentia eiectus, ab ea quam offenderat

derat latebra, nunquam postea recessit, nec tamen intus delituit semper, cum foris esset nemo. Sed S. Hieronymus, qui ingenij sui monumentis orbem terrarum impleuit, & ascetarum studia è solitudine in publicum protulit, cum de Paulo hoc narrat, inter alia tradit de clausis: IESVM, inquit, testor, & sanctos angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit: Alter in cisterna veteri, quam gẽtili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc quidem incredibilia videbuntur esse his, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credenti.

Abusque ergo Apostolorum æuo reor fuisse, qui clausi vitam in tenebris & antris traducerent. Nos certos indigitemus, quos priscorum diligentia ad nostram vsque memoriam transmisit. Forte erit, qui instaurare volet omissam sæculis proximis virtutem. Quam-

quam intelligo alicubi, hodieque clausam latere istiusmodi pietatem. Dicendum tamen posterioribus sæculis viros fœminasq; cum solemni cerimonia Deo initiatos, cultu religioso velatos ab Episcopis & Præsulibus larib' inclusos, ex quibus se nunquam egressuros sacramento votoque iurati astrinxerunt: quod ex Hepidanno & aliis disci potest. Sed nec mihi mens omnes clausos hoc capite includere, sed electos quosdam & singulares; aliorum tantum syllabum apponam. Dorotheum, inquam, Theonam, Ioannem Anachoretam, Eustachium, Sisinnium abbates. Ioannes quoq; Moschus in Limonario præter eos, quos supra adduxi, commendat Machnum, Anonymum in Oliueto clausum, Georgiū Scythopolytam, Iulianū Prætermittam etiam à Cæsario descriptos puellam nobilem, Hermannum Anaspergium, Gertrudē, fœminam anonymam. Marsilium, presbyterum quendam, S. Leobardum, Caluppanū, Friardum, Marianum, Hospitium, Eparchum, 1. Iulij. Patroclum 19. Nouemb. Stephanum 28. Nouemb. Idem 4. Sept. Iuttam 13. Ian. Albertum, Columbanum, Drogonem, Marium, Romanum 27. Nouembr. Menæa. Simeonem Treuirensem. Amunchardum Scotum, Cal. Febr. Vuiboradam, Rachil-

Rachildam, Perethradam seu Perchteram, Kerhildam, Prechinbaldum, Fintanum seu Findanum, & alios haud paucos cælo, quam terris notiores.

ACEPSIMAS.

I.

ACepsimæ gemini celebrantur; alter cõstantia in tolerandis pro Christo cruciatibus, scriptoribus sacris mirè laudatus, de quo nobis hîc sermo non est; alter & posterior vitæ religiosæ professione inclytus, quamuis inclusus. Virtus enim quamuis vel Ætna clausa, tandem tamen, veluti victrix flamma, in apertum erumpit. Custodierunt huius memoriam Theodoretus, præclarè de sanctis viris meritus, dignusq; qui inter eosdem censeatur. Fasti quoq; Græci & Menæa: Neq; Nicephorus silẽtio texit, qui paucis multa complexus: In solitudine, inquit, vrbis Cyri, Acepsimas ille decantatissimus, qui in tuguriolo exiguo inclusus sexaginta annos ita sanctè peregit, vt neq; conspiceret, neq; alloqueretur quemquam. Sed paullo

Theodoretus. *Menæa 3. Nouemb.* *Nicephorus.*

copiosius Menæa: Hic Theodosio magno imperante floruit, qui paruo gurgustio clausus, vixit annos sexaginta (tanquam mutus ac cæcus) quod neq; cum quoquam sermonem conferret, nec quemquem aspiceret; sed versus in se ipsum, & ex se in Deum reuersus, animum cælesti contemplatione pascebat. Porro cubile ipsius seu antrum, per mæandros & sinus instar incuruæ & sinuosæ lineæ effossum erat, vt cõtra stanti esset inadspectabilis. in cibum nihil illis præter lentem fressam, & tepentem porrigebatur. Aquam ex vicino fonte concubia nocte semel quantũ ad septem dies satis erat, cum à nemine conspiceretur, hauriebat. Vltimis vitæ diebus à plurimis passim beneficiis celebratus, etiam sacris initiari se, quamuis coactus, passus est, nõ passurus, nisi mox è vita migraturus. tanti sacerdotis honorem & officium, ad quod hodie illotis propè manibus, vt est in parœmia, curritur, existimauit.

ALEXANDRA.

II.

NEc deterior sexus viris in hoc certamine fuit inferior. Alexandra, vera in virgine virago, à proco sæpius ad stuprum solicitata, ne læderet amantem, aut ipsa læderetur,

tur, supra fœminam sapiens, oris venustatem cum pudore, sepulchro clausit, nusquam rata tutius hos thesauros posse cōdi seruariq; , qúam inter emortualium caluas & cineres arentes, ex quibus nulla flamma erumpat, quę florem honestatis possit populari, quis enim thalamum in tumulo, præter illum Ephesiam collocet ? Duodecim annos in situ & squalore tenebrarum horrentium tenerrima virgo, nulli nec viro nec fœminæ visa, porrecto per foramen alimento traduxit. Ceterum vbi se ad sempiternam lucem ex tam lōga sepulchri nocte euocari sensit, composito ad honestatem corpusculo dormienti similis requieuit. Ministra, cum ad victum allatum Alexandra manum non porrigeret, nec vocanti responderet, renunciauit domum. Itum ad conditorium, & remota saxi mole reperta exsanguis, nec opus fuit ante duodecim annos sepultam, sepelire. Rogata olim à Melania, quomodo otium, quod maximum sæpè parit religiosis negotium, falleret? à prima, inquit, luce vsque ad nonam certis Deum precibus adeo; proximam horam lanæ faciendæ & penso trahendo impendo. Deinde cælestium heroum vitas disco, & fortissima facta recognosco, quibus pro Deo Christoq; testando sanguinē expenderunt.

copiosius Menæa: Hic Theodosio magno imperante floruit, qui paruo gurgustio clausus, vixit annos sexaginta (tanquam mutus ac cæcus) quod neq; cum quoquam sermonem conferret, nec quemquem aspiceret; sed versus in se ipsum, & ex se in Deum reuersus, animum cælesti contemplatione pascebat. Porro cubile ipsius seu antrum, per mæandros & sinus instar incuruæ & sinuosæ lineæ effossum erat, vt cõtra stanti esset inadspectabilis. in cibum nihil illis præter lentem fressam, & tepentem porrigebatur. Aquam ex vicino fonte concubia nocte semel quantũ ad septem dies satis erat, cum à nemine conspiceretur, hauriebat. Vltimis vitæ diebus à plurimis passim beneficiis celebratus, etiam sacris initiari se, quamuis coactus, passus est, nõ passurus, nisi mox è vita migraturus. tanti sacerdotis honorem & officium, ad quod hodie illotis propè manibus, vt est in parœmia, curritur, existimauit.

ALEXANDRA.

II.

NEc deterior sexus viris in hoc certamine fuit inferior. Alexandra, vera in virgine virago, à proco sæpius ad stuprum solicitata, ne læderet amantem, aut ipsa læderetur,

tur, ſupra fœminam ſapiens, oris venuſtatem cum pudore, ſepulchro clauſit, nuſquam rata tutius hos theſauros poſſe cōdi ſeruariq; quàm inter emortualium caluas & cineres arentes, ex quibus nulla flamma erumpat, quę florem honeſtatis poſſit populari, quis enim thalamum in tumulo, præter illum Epheſiam collocet? Duodecim annos in ſitu & ſqualore tenebrarum horrentium tenerrima virgo, nulli nec viro nec fœminæ viſa, porrecto per foramen alimento traduxit. Ceterum vbi ſe ad ſempiternam lucem ex tam lōga ſepulchri nocte euocari ſenſit, compoſito ad honeſtatem corpuſculo dormienti ſimilis requieuit. Miniſtra, cum ad victum allatum Alexandra manum non porrigeret, nec vocanti reſponderet, renunciauit domum. Itum ad conditorium, & remota ſaxi mole reperta exſanguis, nec opus fuit ante duodecim annos ſepultam, ſepelire. Rogata olim à Melania, quomodo otium, quod maximum ſæpè parit religioſis negotium, falleret? à prima, inquit, luce vſque ad nonam certis Deum precibus adeo; proximam horam lanæ faciendæ & penſo trahendo impendo. Deinde cæleſtium heroum vitas diſco, & fortiſſima facta recognoſco, quibus pro Deo Chriſtoq; teſtando ſanguinē expenderunt.

Vbi demum cœpit aduesperascere, laudibus Deo Diuisq; dictis, cibum gusto. Noctis maximam partem in votis & precibus pono, semperq; spe cælum affecto, & laborum meorum cum vita finem exspecto, ad quem omnes adspiramus. Ostendit Alexandra Virginibus locum, vbi pudorem procul periculo haberent. Sed hodie, quæ fugiunt thalamos, aut tumulos quærunt?

CHORYBITA.

III.

HVnc Climacus commendat, quem tibi ex eodem sed recens verso tanquam ex ipso fonte haustum propinabo, quod ad manum habeam Apographum Climaci græcum MS.

Exponam tibi, inquit, & de silentiario, qui in Chorebi solitudine degebat, quid illi euenerit. Multis annis inertiæ & socordiæ, sui instituti iuxta ac salutis neglector, litabat. Ad vltima demũ deductus & conclamatus, iam interuallo iustæ horæ videbatur corpore & vita excessisse, cũ subito recepta anima, iubet nos omnes facessere & exesse; ipse obstructis cellæ foribus, duodecim ipsos annos solus vnicusq; ibid. perseuerauit clausus, multo taciturnior: nec ad mensam quicquã præter

ter panem & frigidam adhibuit. Seſſitans autem, ea tantum, quæ paullo antè à ſenſibus auocatus ſpectarat, immoto corpore & vultu ſemper eodem, attonito ſimilis meditando reuoluebat, mœſtoque ſilentio defixus, perpetuo calentium imbre lacrimarũ inundabatur. Demum vbi (poſt duodecimum annum) animam agentem aduertimus, aditum cellæ moliti irrupimus, multisq; & infimis precibus morientem obteſtati (vt ſalutaria nobis monita in extremo aſtatu ederet) hanc ſolam vocem extorſimus: Date veniam, ſodales, monenti: nemo in cogitationem mortis ſerio ingreſſus, poterit vnquam peccare. Nos proinde ſummo ſtupore perculſi demirabamur eum, qui anteà tam ſolutè vixiſſet, repente tam admirabili & ſancta metamorphoſi fuiſſe commutatum. Corpus deinde terræ mandauimus in cœmiterio haud procul caſtro. poſtridiè ad tumulum reuiſentes ſacrum illud reliquiarum pignus non reperimus, quod cœleſtis clementia Numinis in hoc vellet oſtendere gratam ſibi eſſe pœnitentis curam & laborem diluendi peccati: modo velit poſt extremam etiam ſocordiam ad frugem ſe recipere.

DA.

DAVID E MESOPOTAmia.

IV.

oan. Mochus c. 69. rat. spir.

NOn amplius trecẽtis septuaginta quinque passibus remotam Thessalonicã Dauid religiosissimus pater mandram annos admodum octoginta nunquam egressus colebat. Et quia barbarorum, qui prouinciam populabantur, incursiones metuebantur, in vrbis mænib' vigiliæ, ne subito hostis ciuitatẽ aggrederetur, excubabant. Ergo qui illam murorum partem, quæ Dauidis ædiculam spectabat, tuebãtur, nocte quadam animaduerterunt è fenestella domicilij senis flammam emicare: rati barbaros tectis ignẽ subiecisse, postridie è præsidio vrbis nonnulli egressi offenderunt Dauidem prorsus intactũ & mapale sartum tectum. Nocte rursum diẽ insecuta, eundem ex igne refulgentẽ admirabundi spectauere splendorem, & item tertia ac quarta; donec vniuersam ciuitatem rei nouitas ad spectaculum aduertit, quæ frequens in mænibus insolitos ignes è cella Dauidis exundantes vidit tot noctibus, quot Dauid, inde cum annis prouixit. Fuit inter spectatores pariter & admiratores Palladius

cœnobiarcha, quem hæc gloria Dauidis impulit, vt rebus humanis valere iussis, se totũ Deo transcriberet, quod in hunc mundũ secum ratiocinaretur. Si benignus rerũ humanarum arbiter Deus seruos suos in præsenti vita, tantis ornat triumphis, quid exspectandum erit in illa beatissima æternitatis sede, quando vultus iustorum solis æmulabuntur fulgorem?

ADDAS MESOPOTAmanus.

V.

AD alteram eiusdem vrbis partem alius religiosus senex caua platano clausus vitam trahebat, quem ex incursantibus prouinciam barbaris conspicatus miles, stricto ferro aggressus, mactare conabatur, cum ecce tibi manus gladio armata, & ad ictum elata, subitò obriguit, immotaq; vt erat in alto pẽdens hæsit. Obstupescentibus cæteris, & Addã pro latrone deprecantib⁹, innocentis deprecatu senis, infælix latro suspensã recepit dextram, & facti pœnitens recessit. In tempore nempè succurrit Deus suis, & imminet semper in scelere deprehensis. *Idem cap. 7.*

NA-

NATHANAEL.

VI.

Palladius cap. 18.

QVindecim annis antè quàm Palladius obiret siluarum deserta, Nathanael ad ampla cæli templa ex carcere cellæ suæ profectus erat, de quo à commilitonibus illius hoc accepit. Non potuisse ferre doli fabricatorẽ cacodæmonem, Nathanaelem tam patienter vna in casa residere; & Deo de tolerantia vigiliarũ, jeniuniorum, inediæ, precum assiduitate quotidie victimas adolere. Igitur mille strophas extudisse, quibus illum extra limen antri sui proliceret: tandemque animo tantum suffudisse mœrorẽ, vt confusa mens & prope hausta tristitia, non haberet quo se verteret: iam odisse augustias domicilij; iam tædio emori; iam cogitationum molestissimarum fluctibus obrui; quarũ nec principium deprehendere, nec exitum reperire poterat. Demum voluisse loco cedere, & gradu moueri. Quod inquit, vbi veterator sensit, insidias tam feliciter positas, vrsit tanto vehementius impulsum, quanto magis animaduertit perturbatum. Hoc enim ingenio est hostis, vt deiectos audacissimè aggrediatur, ac vltro insultet abiectis; erectos vero & contra generosè euntes formidet ac refugiat,

glat, non secus ac feræ nonnullæ fugientes persequuntur,& persequentes fugiunt. Victus Nathanael solitudinis æternæ tristitia & illetabilis cauernæ nocte excessit, & aliam non admodum ab hominum frequentia disiunctam cellam condidit: in qua forte quadrimestre perseuerarat,cum de nocte aduentans præstigiator dæmon militis & apparitoris cultũ præ se ferens, tauriq; de more exuuiis indutus, fores Nathanaelis increpuit.ad quem clausus athleta Christi: quis enim es tu, qui hic ante fores meas, in regno meo turbas cies?Ego,inquit,irrisor,ille sum, qui te primis cellæ tuæ castris exui,& nunc adsum, vt hinc quoq; præcipitem eiiciam. Indignissimè tulit Nathanael se artibus mali genii fuisse circumuentum, atq; vt priorẽ fraudem hostis refelleret, rediit ad primum cubile suũ, in quo septẽ & triginta annos cõclusus edurauit, nullis se dolis architecti passus,quamuis millies tentatus protrahi. Septẽ olim vna Põtifices seu fama Nathanaelis exciti, seu nescio cuius instinctu ad clausũ officiosè salutandum venerant:quibus amicè & modestè acceptis,ac post mutuã salutationẽ &sermocinationẽ abeuntibus,non est extra postes sacrarii sui comitatus,quod sacri antistitũ administri, digressis jam episcopis, obiectarunt

ctarunt Nathanaeli, quod rusticè egerit, cum sacratos præsules, tam procul illius causa aduentantes, foras nec vllum passum prosecutus esset: respondit Deum sibi testem bonæ mentis esse, à se coli non pontifices solum, sed quemuis è numero sacris etiam primis initiatum; quamobrem autem abeuntes præsules non sit ad certa viæ spatia pro more & officio prosecutus, id nosse iustum conscientiæ interpretem Deum, cuius causa omnia faceret. Suspectam habebat architecti fraudum artes, à quo dubitabat an impulsi ad se reuisissent.

Cum hæc techna improbo artifici malè cessisset, neque Nathanaelem è suo latibulo protraxisset, cõuersus ad aliam. Extremo vitæ anno idem hostis in puerum duodecennem transformatus, præ se asinum clitellarium, panario onustum agere simulauit, quem & circa lucis deficientis & noctis inchoantis confinium proximè cellam NATHANAELIS admouit, ac concidisse sub sarcinis exclamauit: NATHANAEL non porriges misero auxiliarem dexteram? patieris me hac nocte prædam feris & hyænis fieri? quid respondebis Deo, qui seruum Dei neglexeris, atque adeo immanissimis beluis laniandum obieceris? Reserauit Nathanael aditum ad

implo-

implorantis vocem, & intra limen consistens: Ecquis ades, & quid auxilij me poscis? Ego, inquit ex dolis compositus puer, sum illius anachoretæ (notum & familiarem Nathanaeli indigetabat) minister, panes iumento apporto, quod die crastino pater agapen & solennem mensam reliquis patribus sit appositurus. Quare etiam atq; etiam te rogo, opem suppliciter poscenti porrige. Plena immanibus horret solitudo feris, si me desertum laniari patieris, culpa tibi erit præstanda. Concussit hoc stratagema Christi militē, nec tamen loco excussit. aliquandiu enim dubitanti & anxiè cogitanti similis, tandem fusis ad Deum precibus consilia explicauit; quod verebatur ne vel officium charitatis negligeret, si puerum non iret adiutum, vel si egressus misero succurreret, ludibrium incōstantiæ dæmoni deberet, cum decresset nunquam se extra cellam commouere: Ergo fretus Deo, audi, inquit, puer, aut quicunque pueri formam geris, spero te, si opis meæ re- uera indiges, diuinitus adiutum iri: si insidiator es, jam hoc ipsum intelligam, & clauso cellæ ostio elusit veteratoris artes, qui turpiter victus, cum fœdis onagrorum & ferarum rugitibus in auram euanuit. Miserum te & imbecillem hostem, qui omnibus machinis

admotis, per septem & triginta annos non potuisti miserum & vnicum homuncionem vel latum vnguem mouere loco. I nunc, & iacta robur à nudo monacho infractum & euictum.

MARCIANVS CYRENsis.

VII.

Theodoretus lib. 3. & Eccles. hist. l. 4. Menaa 2. Nou.

CYrus oppidum, Marcianum orbi dedit, qui splendore generis, quod illustre & regium habebat neglecto, ad intima deserti properauit, vbi tectum condidit tam humile & pressum, vt vnicum illius nec ipsum totum stantis corpus caperet. in quod se tamen velut in caueam compegit tunicam indutus, quam tristis pilorum horror asperarat. modus cibi in diem tres erant vnciæ panis, cum modico aquæ humore ad vitam tolerandam. Progressu temporis duos admisit in disciplinam sectatores, qui sibi propter illũ, modicas casas posuere. Marcianus semper clausus cereum aut lumẽ nullũ admisit, quod illi sub noctem cæleste sidus affulgeret, quo literarum characteres peruidebat, quamuis præter Dauidis odaria & Psalmos haberet nihil. Fuit cum è proxima solitudine immanis

serpens

serpens immineret, qui exitium omnib[9] minabatur: atq; discipuli quidem ipsius territi, exanimatiq; fugam spectabant. Marcianus autem solo digito forma crucis expressa, monstrum spiritu afflatum, subito non secus ac stipulā igne correptam disiecit, vt crepans in multas partes rumperetur. Olim etiā Flauianus Antiochiæ Pontifex & Cyri antistes aliiq; illustres præsules (sic Deus illustrat virtutē quamuis clausam & latentē) ad Marcianum egressi, coramq; aggressi, multis argumentis & literarum sacrarum auctoritatibus conabantur è spelæo suo & tenebris elicere, atq; ad salutem & vsum populi in vrbis luce tanquam illustre sidus collocare: quorum tamē oratione flecti non potuit, vt cœptum vitæ genus mutaret. Inter hæc non minus ex tenebris illa lux per orbem dilata, radiis suis multorum mentes, disiecta errorum nocte, illustrauit, quando haud paucos ab hæreticorum perfidia ad rectam sanctamque fidem deduxit. Sed qualem se erga domesticos & cognatos exhibuit immortalis heros? Soror quandoq; cum paruulo filio ex vrbe Cyro & alimentis ascetæ sancto opportunis aduenerat: sed Marcianus sororem nec ad adspectū quidem admisit; nepotulum salutauit; ex allatis obsoniis nihil attigit. Sed vrgēte soro-

re, vt reciperet necessaria ad victum apportata, quomodo, inquit, ad nos profecti tot cœnobia, quæ ad nos properantibus occurrebant indonata transiistis? facessite ergo cũ vestris donis propter sanguinis propinquitatem oblatis, non Christi causa allatis. Longè ergò lateq; fama viri vicinis iuxta ac remotis desiderati propagata, cum cognouisset futurum, vt post mortẽ de corpore suo certarent, & elegantes tumbas adornarent, adeoque ædes sacras & magnificas molirentur, Eusebio ex primis discipulo accersito & iureiurando adacto, vt corpus suum procul à sua cella humandum curaret, & nulli mortalium aperiret, vbi lateret, sopitus ad dominũ profectus est. Hæc fere ex Menæis. longè prolixius omnia Theodoretus vt solet, magisque oratoriè & fusè. Sed lectori malui rem appendere, quam verba adnumerare.

VIRGO GERMANA Nobilis.

VIII.

Cæsarius lib. 4. c. 29.

HÆc & bona indole nata, & bona mente prædita, forma insuper optima, & opibus abundans, & genere illustris, & quod caput est, hodieque rarissimum, inter delici-

as vr-

as vrbanas sobria, & aulicam licentiam pudica, vniusque cælestis sponsi amans; quo magis vrgebatur ad nuptias, hoc magis spectabat cælum & thalamos nulla sorde inquinatos. cuius constantia victi parentes, non pugnandum Deo rati, desponsam votis melioribus filiam suo reliquere consilio. quæ mox Deo sibiq; de paterno maternoq; sanguine & affectu, quo tanquam ferrum à magnete trahimur, victoriam gratulata, domicilio ad vitam religiosam traducendam seorsum cōdito, à prouinciali pontifice Deo initiata, flammeoq; cælesti nupta & velata, vltro volens libensq; suo larario inclusa, & ab omni cœtu mortalium exclusa est. vbi primos sane dies religiosè pacateq; egit. Sed accensus indignatione hostis se à tam imbecilla ætate & sexu triumphatum, cœpit oppugnare arcem hanc virtutis recens exædificatam; munitā quidem probè, sed à tiruncula pugnæ tam atrocis insolente ac imperita, male propugnatam. Primum quod solet, affundit perditor hominum sedenti in tenebris & carcere tristitiam, solis oppido molestam & periculósam; quod neminē in promptu statim habeant, à quo mœstum silentiū & tristis quies vocis humanæ, quæ medicina est ægrotantis animi, affatu subleuetur, & molestia absterr-

gatur. Patitur enim summus agonotheta Deus ascetas suos ascetriasq; in campum certaminis ac tentationum deduci, vt vires primum suas explorent, & explorata imbecillitate pectoris humani, discant ad asylum diuinæ clementiæ & potentiæ confugere, de se sibi nihil polliceri, Deo solo niti; quod experimentis multi tardis; nonnulli seris; pauci primis assequuntur. Igitur teneram Christi militem primo assultu mœroris prostratam, hostis occidere conatus, animum adeo cogitationum fluctibus pressit, vti nec cælum esse, nec arbitrum rerum Deum, nec Diuos vllos, nec etiam se hominem existimaret. Iam inuisa erat infelici solitudo, iam sibi grauis, iam desperata constantia, expediri è carcere atq; erumpere claustra sui domicilii cupiebat. Cum ecce opportunè adest medicus animi Brunsbachiensium antistes ex Cistertiensium familia, cui virginem sacram Episcopus curandam solandamque commiserat. Iam natum ab animo malum in corpus etiam puellæ redundârat, intimasq; medullas ossium exedebat: lurida facies, & fœda macies, tristis pallor & dubia mentis valetudo miseram inuaserant, & propè emaciarant; cum religiosus pater in tempore, & iam serius ferè quam tempus exigebat, quærit

quid

quid viuat, quî habeat? Malè, inquit illa, (quod ipsum erat optimum, aperiri malum) quid enim malum; hic clausa gemo: cur hic velut in ergastulo innoxia inclusa sim, quid agam, quid viuam, quamobrem adsim nescio. Perculsus sanè pater, Dei causa, inquit, nata hic ades, vt exacta hic sanctè vita ad sempiternam vitam, ad cælum inquam, aspires. Hic illa totum quod coxerat animo venenum euomens, Quis, inquit, mortalium nouit, an vllum sit cælum, vel Deus, vel cælites. quis inde ad nos rediit, quis vidit, quis visa nobis declarauit? Attonitus abbas, & totis artubus contremiscens, Quid, inquit, ais filia? quid loqueris, cruce muni cor tuum. Ego, inquit illa, loquor, vt sentio, quod nisi hæc quæ prædicatis, videro, oculisque plane tetigero, adeoq; vsurpâro, non credam. Missionem peto; actutum me ex hac molesta cauea expedite; èxanimat tam tristis & mœsta silentii solitudo. Conatus sanare animum virginis ægrum ac depositũ solicitus pater, cum ex inuidi veteratoris arte conflatam hanc virgini molestiam cerneret; Non vides, inquit, filia, te peti insidiis iurati inimici nostri, cui dolet virtus tua, & ex virtute secutura gloria? nitere contra, & sustine impetum hostis generose: adest DEVS

certantibus,cessantes odit. Nonne tute hoc viuendi genus vltro, ingratiis etiam parentũ & propinquorum complexa es? an te sponsi tui Christi pœnitet? nonne te intra has ipsa domicilii angustias spontè conclusisti, vitamque hanc quietam, sanctam, & ab omnibus vulgi sordibus seiunctam, votis omnibus expetisti? quæ te miseram mala mens, à tam sancta mente deducit auocatque? Dura nata, & persceuera hanc vitam, quamuis initio turbulentam, tempestatem hanc mox amœna & serena sequetur tranquillitas, non semper pertonat Deus, serua te rebus melioribus, breui secuturis. Obfirmarat animum pertinax virgo, omnemq; ab auribus animi medicinam excludebat. tum Abbas, quando inquit, deliberatum habes, claustra virtutis perfringere, & te in exitium vltro præcipitare, reserabo cælestem hanc tibi domum, & sponsam Christo initiatam emittam, tuo periculo res agitur, tibi seritur & metitur. Si quis tamen precibus religiosi patris tui apud te est locus, septem duntaxat hîc dies præstolare, donec ad meos redeam, atque inde ad te reuisam. Ægrè impetrauit ab ægra septem dierum moram. Regressus ad suos Cœnobiarcha exposuit in cætu, quo loco essent res infelicis Virginis, rogat omnes, & verò imperat

perat ſingulis, vt apud Deum cauſſam virginis agant, nec ceſſent fatigare precibus cælũ, quoad flectant Numen, & opem impetrent præſentem. Ipſe etiam præſes cœnobii profuſis ad Deum lacrimis adiit, vt miſereri vellet miſeræ puellæ. Nunquam fruſtra conſulitur Deus; annuit votis patrum, virginis mentem mutauit, & reuerſus Abbas ad clauſam, quomodo, inquit, modo habes filia? Melius inquit, ac vnquam aliàs optime pater, tantis per hoſce ſeptem dies delibuta ſum gaudiis, vt non ſolum omnem ab animo nubem triſtitiæ abſterſerim, ſed onerata cumulataque lætitiis omnibus, quæ Deo ſint grates laudeſque, vix me ipſam ceperim præ copia conſolationis. Quid ita, inquit pater, quia mox, inquit, à diſceſſu tuo, auocata mente à ſenſuum vſu, & omnino è corporis vinculis expedita, contemplata ſum animas cæleſtium, ſpectaui triumphos ſanctorum. corpus autẽ meum, humi fuſum pallens, exangue, tanquam florem languidum aut marceſcentem vidi. Rogata quæ eſſet facies aut forma animæ? natura, inquit, eſt exors corporis, adeoque ſpiritus lucẽtis ad modum globi vndiq; oculatus, vndiq; illuſtris. Animus cum animo in corporẽ degenti viſitur, in corporis habitu comparet, vt & reliqui cælites; ſed

exſoluto & libero à corporis concretione ſpectatur ab animo in ſuæ naturæ conditione, vt cryſtallus aut gemma tranſlucida, in qua nihil vmbræ aut opacæ noctis, vt in corpore, deprehenditur. Exhilaratus pater de tam felici ſtatu reſtitutæ ſibi virginis, nos docuit, quæ tabulæ mediis in tentationum naufragiis ſint prendendæ. Nulla ab hoſte intenta pericula, niſi per preces poſſe vinci & declinari. Tum primam ſalutis ſpem affulgere; cum ſcopuli tentationum latentes nudantur, deinde confirmari, cum ſapientis conſilio quoquo modo paretur, omne demum periculum precibus euitari.

DE DVOBVS VICISSIM inclusis, pia & iucunda historia.

IX.

Ioſephus Ballardinus lib. 2. cap. 72. in prato florum.

IN omnem poſteritatis memoriam peccaturus viderer, ſi duos hoſce fortiſſimos Chriſti athletas & aſcetas, ſed vulgo parum celebres nec in faſtos, quod ſciam relatos, ſilentio premerem.

Duo quidam ſocieni (vt auctor eſt Henricus in ſpeculo exemplorum) per omnem orbem vagabundi paſſim hiſtrioniam exercebant.

bant, & Attellanis atque exodiis, omniquè genere ludorum, fabularum, ac iocorum populo delitias faciebant, & spectantium simul risum simulq; plausum & crumenas captabant, vt inde viuerent & biberent, & genio suo litarent. Hanc viuendi rationem cum diu sanè perseuerassent, alterum infelicis vitæ & damnatæ sortis artisq; tandem pertæsum est, quod minime ignoraret, dictatori olim supremo, post actam præsentis vitæ fabulam, certam & exactam omnium rationem esse reddendam, caussamq; apud incorruptum iudicem agendam. Ea cogitatione defixus, & intimo sensu animi perculsus, cœpit meliora consilia capessere, & de præteritæ vitæ dictis, factis, decretis rescindendis & expiandis anxiè secum pertractare. Deliberabat an secreta siluarum peteret, an in aliqua potius familia & cœtu religiosorum virorum nomen profiteretur. Inter hæc captabat locum socii fallendi, ne fugam suam sentiret; quem nactus DEO propitiato, se ab eius conspectu & societate subduxit, precatus assiduè numen, vti sibi dux esse viæ vellet, rupemque aliquam ostenderet, in qua lateret, & præteritas culpas aboleret, gratiamq; sibi cælestem conciliaret. Incidit demum in nemus, ex quo collis

surrexit,

ſurrexit, altâ infernè cauernâ patens, in quo è ſuperiore loco anguſtus erat deſcenſus, ſaxo clauſus. Hic placebat locus lacrimis, precibus, vigiliis, & aliis pœnitentiæ ſtudiis opportunus. Demiſſus ergo in hiatum deſcendit, vbi vitam in ſancto luctu, cum magna animi tranquillitate egit, modico pane & aqua ab accolis adminiſtrantibus contentus. Cęterum alter ludio, de amiſſo colluſore ſuo miris modis anxius, veluti vertagus canis ſiue venaticus vbiq; gentium ſodalem ſuum veſtigabat, omnem ſibi vitam ſine commilitone ſuo acerbam ratus, quod ſibi omnino carere eius vſu non poſſe videretur, qui cum tam benignos ſibi & faciles per iocum & ludum pararat ventris largitores. Itaq; nullum inquirendi finem faciebat, obuios quoſq; de illo percunctatus, tandem didicit, quendam in lucũ illũ, quẽ oſtendebat, ſeceſſiſſe, ibiq; in ſpelæo Deo operari, ſua deflere delicta, piã vitam degere. Ex deſcriptione indicis facilè cõiecit hiſtrio, illum ipſum ſuum deſideratiſſimum comitem & ludium eſſe. Quocirca nemus penetrat, rupem aſcendit, ad feneſtræ clauſtra adrepit, caueam inſpicit, ſuum ſodalem agnoſcit, ſed planè diuerſum à priore, vt qui tum ſupplices ad Deum preces piè & religiosè fundebat. Aggreſſus tamen illum

multis

multis verbis cœpit prolectare, & ad vitę prioris gaudia inuitare. Quid, inquit, virorum optimè, vita, voluptas, & deliciæ meæ agis, quo te consilio viuum ante mortem inter mortuos collocas, & in sepulchro, quo te olim natura fuerat inclusura, antè sepulturam sepelis? Quæ tibi mens? Quæ te miserum vexat insania? vt abiectis omnibus vitæ commodis, quib' per orbem errantes fruebamur, omnibusq; voluptatib' circumfusi nobis rē, aliis spectacula faciebamus, teipsū in has tenebras & squalorem cõiiceres, vbi in summa vitæ acerbitate vitam traduceres? Prodi, prodi, infelix ex tumulo nondū extinctus, quid agis apud mortuos viuus? Egredere sodalium dulcissime, petamus illam ciuitatem, vbi populo faciamus fabulas: dies festi appetunt, magna lucri spes affulget, qua nos omnino priuas, si nõ prodis, quod enim solus nil possim nosti; Tu omnibus me commodis vitæ spolias, nisi te mihi & luci & orbi reddis. Ades obsecro, nec me desertum negligas. Erit, etiam in oppidis locus precandi; nusquam abest numē, vbique præsens vouentium sentit affectus. Hæc & his plura pluribus diebus assidue occinebat sancto viro inimicus an amicus? nec finem nec modum facturus videbatur, nisi assidua incantatione socium euocasset.

re, vt reciperet necessaria ad victum apportata, quomodo, inquit, ad nos profecti tot cœnobia, quæ ad nos properantibus occurrebant indonata transiistis? facessite ergo cũ vestris donis propter sanguinis propinquitatem oblatis, non Christi causa allatis. Longè ergò lateq; fama viri vicinis iuxta ac remotis desiderati propagata, cùm cognouisset futurum, vt post mortẽ de corpore suo certarent, & elegantes tumbas adornarent, adeoque ædes sacras & magnificas molirentur, Eusebio ex primis discipulo accersito & iureiurando adacto, vt corpus suum procul à sua cella humandum curaret, & nulli mortalium aperiret, vbi lateret, sopitus ad dominũ profectus est. Hæc fere ex Menæis. longè prolixius omnia Theodoretus vt solet, magisque oratoriè & fusè. Sed lectori malui rem appendere, quam verba adnumerare.

VIRGO GERMANA Nobilis.

VIII.

Cæsarius lib.4.c.29.

HÆc & bona indole nata, & bona mente prædita, forma insuper optima, & opibus abundans, & genere illustris, & quod caput est, hodieque rarissimum, inter delici-

as vr-

as vrbanas sobria, & aulicam licentiam pudica, vniusque cælestis sponsi amans; quo magis vrgebatur ad nuptias, hoc magis spectabat cælum & thalamos nulla sorde inquinatos. cuius constantia victi parentes, non pugnandum Deo rati, desponsam votis melioribus filiam suo reliquere consilio. quæ mox Deo sibiq; de paterno maternoq; sanguine & affectu, quo tanquam ferrum à magnete trahimur, victoriam gratulata, domicilio ad vitam religiosam traducendam seorsum cōdito, à prouinciali pontifice Deo initiata, flammeoq; cælesti nupta & velata, vltro volens libensq; suo larario inclusa, & ab omni cœtu mortalium exclusa est. vbi primos sane dies religiosè pacateq; egit. Sed accensus indignatione hostis se à tam imbecilla ætate & sexu triumphatum, cœpit oppugnare arcem hanc virtutis recens exædificatam; munitā quidem probè, sed à tiruncula pugnæ tam atrocis insolente ac imperita, male propugnatam. Primum quod solet, affundit perditor hominum sedenti in tenebris & carcere tristitiam, solis oppido molestam & periculosam; quod neminē in promptu statim habeant, à quo mœstum silentiū & tristis quies vocis humanæ, quæ medicina est ægrotantis animi, affatu subleuetur, & molestia absterx-

 gatur.

gatur. Patitur enim summus agonotheta Deus ascetas suos ascetriasq; in campum certaminis ac tentationum deduci, vt vires primum suas explorent, & explorata imbecillitate pectoris humani, discant ad asylum diuinæ clementiæ & potentiæ confugere, de se sibi nihil polliceri, Deo solo niti; quod experimentis multi tardis; nonnulli seris; pauci primis assequuntur. Igitur teneram Christi militem primo assultu mœroris prostratam, hostis occidere conatus, animum adeo cogitationum fluctibus pressit, vti nec cælum esse, nec arbitrum rerum Deum, nec Diuos vllos, nec etiam se hominem existimaret. Iam inuisa erat infelici solitudo, iam sibi grauis, iam desperata constantia, expediri è carcere atq; erumpere claustra sui domicilii cupiebat. Cum ecce opportunè adest medicus animi Brunsbachiensium antistes ex Cisterciensium familia, cui virginem sacram Episcopus curandam solandamque commiserat. Iam natum ab animo malum in corpus etiam puellæ redundârat, intimasq; medullas ossium exedebat: lurida facies, & fœda macies, tristis pallor & dubia mentis valetudo miseram inuaserant, & propè emaciarant; cum religiosus pater in tempore, & iam serius ferè quam tempus exigêbat, quærit quid

quid viuat, quî habeat? Malè, inquit illa, (quod ipsum erat optimum, aperiri malum) quid enim malum; hic clausa gemo: cur hic velut in ergastulo innoxia inclusa sim, quid agam, quid viuam, quamobrem adsim nescio. Perculsus sanè pater, Dei causa, inquit, nata hic ades, vt exactâ hic sanctè vita ad sempiternam vitam, ad cælum inquam, aspires. Hic illa totum quod coxerat animo venenum euomens, Quis, inquit, mortalium nouit, an vllum sit cælum, vel Deus, vel cælites. quis inde ad nos rediit, quis vidit, quis visa nobis declarauit? Attonitus abbas, & totis artubus contremiscens, Quid, inquit, ais filia? quid loqueris, cruce muni cor tuum. Ego, inquit illa, loquor, vt sentio, quod nisi hæc quæ prædicatis, videro, oculisque plane tetigero, adeoq; vsurpâro, non credam. Missionem peto; actutum me ex hac molesta cauea expedite; èxanimat tam tristis & mœsta silentii solitudo. Conatus sanare animum virginis ægrum ac depositũ solicitus pater, cum ex inuidi veteratoris arte conflatam hanc virgini molestiam cerneret; Non vides, inquit, filia, te peti insidiis iurati inimici nostri, cui dolet virtus tua, & ex virtute secutura gloria? nitere contra, & sustine impetum hostis generose: adest DEVS

perat ſingulis, vt apud Deum cauſſam virginis agant, nec ceſſent fatigare precibus cælũ, quoad flectant Numen, & opem impetrent præſentem. Ipſe etiam præſes cœnobii profuſis ad Deum lacrimis adiit, vt miſereri vellet miſeræ puellæ. Nunquam fruſtra conſulitur Deus, annuit votis patrum, virginis mentem mutauit, & reuerſus Abbas ad clauſam, quomodo, inquit, modo habes filia? Melius inquit, ac vnquam aliàs optime pater, tantis per hoſce ſeptem dies delibuta ſum gaudiis, vt non ſolum omnem ab animo nubem triſtitiæ abſterſerim, ſed onerata cumulataque lætitiis omnibus, quæ Deo ſint grates laudeſque, vix me ipſam ceperim præ copia conſolationis. Quid ita, inquit pater, quia mox, inquit, à diſceſſu tuo, auocata mente à ſenſuum vſu, & omnino è corporis vinculis expedita, contemplata ſum animas cæleſtium, ſpectaui triumphos ſanctorum. corpus autẽ meum, humi fuſum pallens, exangue, tanquam florem languidum aut marceſcentem vidi. Rogata quæ eſſet facies aut forma animæ? natura, inquit, eſt exors corporis, adeoque ſpiritus lucẽtis ad modum globi vndiq; oculatus, vndiq; illuſtris. Animus cum animo in corpore degenti viſitur, in corporis habitu compareт, vt & reliqui cælites; ſed

exsoluto & libero à corporis concretione spectatur ab animo in suæ naturæ conditione, vt cryſtallus aut gemma transſlucida, in qua nihil vmbræ aut opacæ noctis, vt in corpore, deprehenditur. Exhilaratus pater de tam felici statu restitutæ sibi virginis, nos docuit, quæ tabulæ mediis in tentationum naufragiis ſint prendendæ. Nulla ab hoste intenta pericula, niſi per preces poſſe vinci & declinari. Tum primam ſalutis ſpem affulgere; cum ſcopuli tentationum latentes nudantur, deinde confirmari, cum ſapientis conſilio quoquo modo paretur, omne demum periculum precibus euitari.

DE DVOBVS VICISSIM inclusis, pia & iucunda historia.

IX.

Ioſephus Ballardinus lib. 2. cap. 72. in prato florum.

IN omnem poſteritatis memoriam peccaturus viderer, ſi duos hoſce fortiſſimos Christi athletas & aſcetas, ſed vulgo parum celebres nec in faſtos, quod ſciam relatos, ſilentio premerem.

Duo quidam ſocieni (vt auctor eſt Henricus in ſpeculo exemplorum) per omnem orbem vagabundi paſſim histrioniam exercebant.

bant, & Attellanis atque exodiis, omniquê genere ludorum, fabularum, ac iocorum populo delitias faciebant, & spectantium simul risum simulq; plausum & crumenas captabant, vt inde viuerent & biberent, & genio suo litarent. Hanc viuendi rationem cum diu sanè perseuerassent, alterum infelicis vitæ & damnatæ sortis artisq; tandem pertæsum est, quod minime ignoraret, dictatori olim supremo, post actam præsentis vitæ fabulam, certam & exactam omnium rationem esse reddendam, caussamq; apud incorruptum iudicem agendam. Ea cogitatione defixus, & intimo sensu animi perculsus, cœpit meliora consilia capessere, & de præteritæ vitæ dictis, factis, decretis rescindendis & expiandis anxiè secum pertractare. Deliberabat an secreta siluarum peteret, an in aliqua potius familia & cœtu religiosorum virorum nomen profiteretur. Inter hæc captabat locum socii fallendi, ne fugam suam sentiret; quem nactus DEO propitiato, se ab eius conspectu & societate subduxit, precatus assiduè numen, vti sibi dux esse viæ vellet, rupemque aliquam ostenderet, in qua lateret, & præteritas culpas aboleret, gratiamq; sibi cælestem conciliaret. Incidit demum in nemus, ex quo collis

surrexit,

multis verbis cœpit prolectare, & ad vitę prioris gaudia inuitare. Quid, inquit, virorum optimè, vita, voluptas, & deliciæ meæ agis, quo te consilio viuum ante mortem inter mortuos collocas, & in sepulchro, quo te olim natura fuerat inclusura, antè sepulturam sepelis? Quæ tibi mens? Quæ te miserum vexat insania? vt abiectis omnibus vitæ commodis, quib' per orbem errantes fruebamur, omnibusq; voluptatib' circumfusi nobis rē, aliis spectacula faciebamus, teipsū in has tenebras & squalorem cōiiceres, vbi in summa vitæ acerbitate vitam traduceres? Prodi, prodi, infelix ex tumulo nondū extinctus, quid agis apud mortuos viuus? Egredere sodalium dulcissime, petamus illam ciuitatem, vbi populo faciamus fabulas: dies festi appetunt, magna lucri spes affulget, qua nos omnino priuas, si nō prodis, quod enim solus nil possim nosti; Tu omnibus me commodis vitæ spolias, nisi te mihi & luci & orbi reddis. Ades obsecro, nec me desertum negligas. Erit, etiam in oppidis locus precandi; nusquam abest numē, vbique præsens vouentium sentit affectus. Hæc & his plura pluribus diebus assidue occinebat sancto viro inimicus an amicus? nec finem nec modum facturus videbatur, nisi assidua incantatione socium euocasset.

cassset. Enimuerò alter tam altè in æternitatis cogitationem descenderat, tamque arctè in Christi familiaritatem per contemplationem se insinuarat, vt cælestibus inundatus gaudiis omnino blāditias sodalis & propinatas in circeis poculis promulsides cõtemneret; quin vltro grauiter etiam illius importunā insectabatur improbitatē: abiretmodo cū suis impiis, & ab inferno hoste suggestis sollicitationibus, nihil moturū, minus promoturum, nunquam se cœpta desiturū. Quin tu potius, inquit, in meas partes concedis, & mecum doles, qui mecum peccasti: vt ambo pace superum donati, cæloque reconciliati ad beatas olim cęlitum sedes aspiremus. Surdis fabula: caute Marpesia durior erat ad omnia boni sodalis hortamenta, vt qui decresset ab eo non recedere, nisi extractum ex cauea secum ad pristinam viuendi licentiam deduxisset. Ergo instare, & sodalem dies noctesque vrgere; egrederetur, & secum ad solitos ludos & luxum reuerteretur. Quod cum pius & germanus, quamuis improbi histrionis, amicus sentiret, nec à se pelli nec auelli posse socium obfirmatum; statuit illum pio dolo circumuenire, vt quemadmodum ille sibi suasor esset vitæ sanctioris deserendę, ita vicissim ipse socio auctor esset volenti nolenti

lenti

lenti melioris consilij capessendi. Simulat se tot optimi sodalis precibus fatigatum tandē velle in ipsius vota concedere, & deserto antro ad pristinam libertatem & licentiam reuerti. Ergo, inquit, quando me tam importunè vrges, nec modum precandi facis, nec nisi mecum recedere iuratus es. En vltro in tua vota curro, tuus sum; sequar te quocūq; pergentem, ducentem. Erat cauerna vndequaq; conclusa, nec aditum vllum habebat, nisi supra caput modicum hiatum, & infra fenestram exiguam; qua subministratum admittebat cibum. Ille tam grato & inexspectato responso lætus, præ gaudio se vix capiebat & confectum ratus negotium, ad os spelæi illico accurrit, & omni connixus ope, saxum ingens à foramine remouet, funem demittit, socium in speciem hilarem & renidentem extrahit, extractum amantissimè complectitur, mirè sibi de victoria gratulatus; cum illo dein viam ingreditur, & ad vrbē proximam, vbi ludi erant celebrandi, pergit. Sed alter aliquandiu cum illo progressus, Hem, inquit, infelix ego Zonam numis plenam à piis collectam & porrectā reliqui in cauerna: si placet, redeamus & nobiscum auferamus. (Non facilius in fraudem impellimur: quam cum spes numi affulget.) Omnino, inquit ille

impro-

improbus,reuertamur,opus eſt ære nobis in viam, ego meum te perquirendo totum expendi. Vbi ad ſpeluncam reuenerunt,ille, qui erat paulo ante eductus; ſi non eſt tibi graue,inquit, quæſo deſcende tu,qui me valentior es iam inedia, vigiliis; & luctu tam diuturno exhauſto. Ego te per funem demittam: ſub toro culmorum, in quo feſſus ſomnum capiebam, reperies crumenam ære turgentem. Ego vero,inquit alter, ingrediar libenter,ditior egreſſurus. Simul ergo per funem delapſus eſt, alter attracto fune, os antri,aduolutá ſaxi mole,occluſit, ſociumq; incluſit,& ad feneſtram tranſgreſſus: amice mihi,inquit,in paucis chare,ego in hac cauea tamdiu clauſus, noxas meas olim tecum admiſſas, quibus cæleſte numen ad iuſtam in nos vindictam concitauimus, mortales autem plurimos exemplo viuendi peſſimo grauiter offendimus, aſſiduo luctu, lacrimis, precibus, ieiuniis & aliis pænitentiæ ſtudiis conatus ſum expiare: iam par eſt,vt tu quoque pro tua parte tuas culpas fleas, & Deo, dum viuis valeſq;,ſatisfacias. Nam vbi acta annaliũ tuorum recognôris, intelliges, quã tam & quamlongam ætatem in omni vitiorum genere detriueris,quot mortalibus ſempiterni exitii auctor fueris. Quod ſi ergo tantis

tantis peccatis non dignas abs te pœnas in præsens exegeris, certe futurum est, vt sempiternis inferorum suppliciis torquearis, & macteris. Clausus vbi se delusum & inclusum vidit, vehementissimè perturbatus, funem, inquit, demitte, & me attrahe, nihil est quod mihi caput tuis logis & concionibus obtundas. Quod cum alter facere recusaret, in dirissimas effusus execrationes cœpit maledictis ipsum cælum & omnes cælites onerare, & impio ore Deum impiè lacessere; adiectis insuper minis, quod nisi quamprimum emitteretur, se in mille partes eum discerpturum, frustratimque concisurum. Cuius impotentem animum alter vt mitigaret, modestissimè respōdit, non id à se agi vt optimum & familiarissimum sodalem, aut rideret, aut vexaret, sed pro salute ipsius & anima apud Deum in gratia reponenda se laborare, proinde quiesceret, & aliquot dies in suorum peccatorum recognitione poneret, quemadmodum ipse aliquot iam annos posuisset; se curaturū, vt nihil illi rerum necessariarum desit. Sed vento locutus, austrum verberabat, furebat intus alter & illi vltima omnia minabatur. Nec curauit id salutis illius studiosus, nec egredi clausum passus est. Vbi ille toto triduo plenus despe-

rationis & indignationis non destitit in cæleste numen & diuos omnes maledicta iacere, scelusque scelere cumulare. Sodalis interim placare precibus Deum, & votis omnibus propitiare, vt animum impotentis frangeret, & pro sua infinita clementia misericordiæ thesauros aperiret, & infelicē sua gratia quamuis indignum, dignaretur. Solabatur interea mœstum, & blandissimis verbis ferocem animum conabatur mitigare. Et adfuit pietas numinis charitati, pro misero deprecantis. sensim cœpit clausus sensum cordis aperire, & in seipsum descēdere, agnoscere plenam vitiis & flagitiis vitam, flere deinde & dolere; veniam præteritis orare, faterique apud sodalem, se non tantum esse dignū illo carcere & cauea, sed in æternum inferorum chaos merito demergendum; proinde nolle se è spelæo ante mortem expediri. Vsq; adeo nemini venia quamuis impio desperanda, quam præsertim facilè pietas aliorum & charitas extorquet. Non simulauit dolorem inclusus, verè & ex animo supplex alteri, petiuit vt accerseret peritum aliquem medicum animorum, cui sua vulnera conscientiæ omnia curanda aperiret. Quod eo mox doloris sensu de peccatis concepto fecit, vt inexspectata metamorphosi prorsus ex impio in pi-

in pium, ex ſcelerato in ſanctũ virum transformaretur, vnaq; cum ſuæ ſalutis curatorẹ & ſodali omne tempus in ſumma viuendi ſeueritate precando, abſtinendo, peruigilandoq; traduceret. Quæ res etiam aduenas & incolas, qui ad ſanctos ſodales viſendos confluebant mirificè ad rerum humanarũ contemtionem, & cæleſtium amorem inflammabat. Ita hæc præda duorum è faucibus frementis tartari erepta, in cæli templo poſt mortem Deo eſt conſecrata.

EX PATRICO GRÆCORUM MS. varia exempla:

Ex Bibliotheca Reip. Augu.

CAPVT VI.

Vtinã codex Græcus manu exaratus integer ad me perueniſſet, totũ Latio donaſſem: ſunt enim in illo præclaræ ſanctorum Patrum inſtitutiones, & multæ quæſtiones, ſacrarumque literarum explanationes exemplis & hiſtoriis cõfirmatæ. Sed cũ ἄπους καὶ ἀκέφαλος, nec caput nec pedes habeat, & à tineis peſſimè

acceptus ſit, nec alterius exemplaris copiam habere potuerim, imitatus apicularum ingenium flores exemplorum delibaui, quæ integra cognoui. Ex quibus hoc primum eſto, de Carione.

DE S. CARIONE.

I.

Ex cap. de recipiendis religionem petentibus.

Carioni, poſtea monacho, olim erant gemini liberi, quibus cum vxore relictis, ipſe in Scetanam ſolitudinem ſeceſſit. Graſſante poſt in Ægypto dira fame, vxor in vltima deprehenſa victus & inopiæ neceſſitate, cum liberis ad virum in Scetam profecta eſt. Erat ex natis alter puer Zacharias, altera puella. Mulier ex certo interuallo à viro propter vliginem reſidens (palus enim ad Scetam ſita eſt, vbi & ædes ſacræ cōditæ ſunt, & fontium ſcaturigines prorumpunt) maritum cognorat. Obtinet enim in Sceta conſuetudo, vt ſi qua fæmina adueniens fratrem aut propinquum reuiſere velit, ex interuallo ſe colloquantur, coniunx appellato Carione, En, inquit, tu monachus es, fames vrget prouinciam. Quis alet tuos hoſce liberos? Mitte, inquit pater, illos ad me: & mater: ite liberi ad parentem veſtrum. Eunt ambo, ſed puella in itu conuerſa recur-

recurrit ad matrem, puer ad patrē peruenit. Tum Cario commodè inquit, Ecce tuam tibi serua filiam, ego filium retinebo. Eduxit ergo infantem in Sceta pater, cunctis filium Carionis agnoscentibus. Sed cùm adoleuisset puer, paulatim cæteri obloqui, & ægreferre (profanum inter religiosos versari) Cario re notata, Zacharia inquit, discedamus hinc, ne patribus iam indignantib⁹ molesti simus. Pater inquit adolescens, hic nemo ignorat, me ex te natum, si aliò nos conferemus, negabunt me tuum esse filium. Recedamus inquit pater. profecti in Thebaidem, cum paucis ibi diebus in cellis consedissent, cœpere & illic obmurmurare propter puerum. Pater ergo, reuertamur inquit, Zacharia in Scetam. Sed nec dum communi fratrū mussitandi finem faciente, adolescentulus abijt, exutusque descendit in nitrosum lacum, corpusq; narium tenus mersit, tinxitq; ad integram pæne horam, quoad omnem corporis florentis elegantiam corrumperet, formamq; penitus deleret, atq; in senilem speciem degeneraret. Regressus inde ad patrem nudus, veste præ se lata, ægrè agnitus est à Carione. Pro consuetudine verò ad sacram synaxin accedente, diuinitus significatum est S. Isidoro Scetani conuentus

 presby-

presſbytero, quid Zacharias feciſſet; intuitus ergo illum Iſidorus & admirabundus prætεrita, inquit, Dominica Zacharias venit, & nobiſcum vt homo communicauit, nunc autem in angelum verſus eſt. Ita fit nonnunquam, vt qui alio fine cœnobia ingrediuntur, tandem religioſam vitam ſtudioſiſſimè complectantur. Vti ſementis non conſilio ſparſa, ſed caſu in terram cadens ſæpe vberē adfert fructum. Nemo ergo iudicandus & damnandus, quicunque ad ſanctas patrum ſodalitates quocumque animo accedit.

Lib. 31. c. 10. Quæ de nitroſa aqua ſupra relata ſunt, ſi cui vim eius & acrimoniam diſcere lubet, Plinium adeat, qui naturam, ingenium, vires nitri diſertiſſimè exponit.

Diſcis præterea cur aſcetæ puerum formoſum & tenerum noluerint in cætu ferre: quod id contra morem fieret, & mores aliorum ac ſenſus ſolicitari corrumpique poſſent. Quæ cauſa fuit vti S. Sabas nullum eunuchum, nullum imberbem in Labras ſuas aut Lauras admitteret.

Matth. 10. & 16. Mar. c. 8. Diſcis & antiquiſſimum, in Eccleſia Catholica morem relinquendi, (ex vtriuſque conſenſu) vxorem & liberos, quem Chriſtus docuit non præcepit; ſuaſit non imperauit.

Luc. 14. Diſcis etiam veteres religioſos eminus non com-

comminus cum fæminis etiam cognatis collocutos, ne oculi læderentur, sensus afficeretur, mens inquinaretur.

ANONYMVS.

II

Asceta quidam, omnia in optimam partē interpretari solitus, visa alterius cella, sordida & neglecta, Quàm, inquit apud se, beatus est iste religiosus frater: omnia enim mortalia contemsit, totamque mentem ad immortalia conuertit, neque enim tantum sibi otij sumit, vti vel casulam suam componat & perpurget. Vbi idem ad alterius venit mandram compositam & mundam: Quàm, inquit, pura huius mens est: qualis cella, talis anima; status loci ostendit statum cordis. Nec vnquam de vllo sinistrè locutus dixit, quàm est iste incompositus aut vagus; sed omnes sua bonitate metiebatur. Bona mens det nobis, vti bona omnia in aliis obseruemus, mala negligamus.

Ex cap. de desertoribus cœnobiorū. Et apud Dorotheum.

III.

Ex cap. de scandalis.

NOui ego virum religiosum, qui vita & oratione multis profuit ad salutem, sed auctore & satore mali dæmone, quidam illi per inuidiam obtrectantes, multos ab eodẽ auerterunt, & fructu spiritus sancti priuauerunt. Hi tamen errore tandem cognito, & fraude veteratoris diaboli deprehensa, pænitudine ducti, veniam ab illo postulatam impetrarunt; sed postremo, ipsi vel ab impulsore suo genio malo occupati sunt, vel in varia tentamentorum discrimina & pericula incurrerunt, quod iudicio suo (de sancto viro) improbo multos offendissent. Quare merito Paulus monuit: *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium quicunque est ille.*

Gal. 5.

IIII.

Ex cap. de doctorib.

SÆpenumero fieri amat vti par pari optimus viuendi magister fiat, quod disciplina à socio profecta, in socium animum facilius admittatur, quàm ab imperantis auctoritate tradita. Affirmat hoc patrum historia, in qua de Theodoro Pachomij alumno hæc narrantur. Erat Pachomio auctori religiosissimi cœnobij apud Tabennam insulam, discipulus inter plurimos alios Archelaus, qui identi-

Identidem ad parẽtes & cognatos reuisebat, & cum à patribus ea de re sæpe admoneretur, vitium non emendabat, vsque adeo paternus & maternus in eius pectore feruebat amor, vt extingi non posse videretur. Aggressus est hunc tiro quidam eiusdem asceterij, cui Theodoro nomen, callidi ingenij, sed ad religiosam vitam præclarè affecti. Quid, inquit, Archelaë sibi volunt ista Christi verba apud Euangelistam: *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem suam, non potest meus esse discipulus,* & quæ ibidem sequuntur? quomodo hæc interpretaris aut intelligis? Literæ sacræ (inquit Archelaus) subinde, more oratorio, per auxesin exaggerant rem, & Ἰεροπικῶς extollunt, vti saltem ad partem aliquam aspiremus. *Luc.14. Matth.10. & 16.*

Etenim, quomodo possumus odisse parentes (ex quibus nati sumus.) Hoc Archelaus ita interpretabatur vt affectum, & frequentes parentum salutationes excusaret, à quib^9 nullis dehortamentis poterat auelli. Cui versutè & callidè Theodorus: sanè hæc ipsa est vestra Tabennesiotæ fides, nec aliud Christus voluit, hoc ipsum docet Euangeliũ. Proinde iam nunc hinc recedo, bene mihi erat, cùm essem, vt ante fui, nec patres illic Euangeliũ vnquã negãt. Recessit ergo Theodorus

ab Archelao in speciem, & aliquandiu se remouit à publico & abdidit. Hic Archelaus (stimulis reor conscientiæ confossus) Pachomio rem totam exponit, & Pachomius: An ignoras, inquit, Theodorum tironem esse? extemplò curre, abiturientem inquire, & insequere; nam si hinc discesserit, pessimè vulgò audiemus, & fama de nobis perniciosa spargetur. Archelaus Theodorum solicitè vestigat; repertum retinere aut potius retrahere nequicquam conatur: simulabat enim Theodorus discessum. Sed tandem cum Archelaus omnibus modis tentaret illum in viam reducere: Si vis, inquit Theodorus, vt maneam, & intelligam, verum esse, quod modo dicis (contrarium prioribus) profitere coram Christo, apud commune omnium patrum, te secuturum quod Euangelium docet; redibo ad cœnobium. Promisit Archelaus & promissa exoluit. nec de cætero vnquam ad suos salutandos reuertit.

Porro vt lector norit, quis ille eximius fuerit Theodorus, pauca ex rebus à S. Pachomio gestis huc apponam.

Primam ingressus adolescentiam, quartodecimo anno cœpit intueri cælum, & mortalia fastidire. Erat claris in Ægypto, & copiosis, Christianisque parentibus natus. festus dies

dies in paternis ædibus festa lætitia agitabatur: conuiuia magno luxu instaurabantur, nam:

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates. Virgil.

Has opes & copias, amplæque familiæ splendorem contemplatus Theodorus, Ecquid, inquit, infelici mihi hæc olim è vita abeunti, aut opis aut solatii ferent, cùm omnia erunt volenti nolenti deserenda? quid si etiam hæc irritamenta malorum me capiant, & captum ad inferos deturbent? Hac salutari cogitatione initiatus, petit interius conclaue, vbi fusus humi & lacrimis perfusus, Christe sancte inquit, qui intimum animi mei sensum penetras pernoscisque, tute vides me nihil hac rerum præsentium affluentia delectari, omniaq; tuo amori post habere, affulge obsecro menti; & noctem errorum pelle, ac præsentis vitæ tenebras cælestibus gratiæ tuæ radiis discute, vti laudes tibi sempiternas canam psallamq;. Offendit interim mater filium in lacrimis jacenté, quæ illum ad vitæ hilarioris statum mentemque erigere & inuitare necquicquam conabatur. Dulcius erat illi flere, quàm aliis genio & deliciis indulgere. Mutauit inde genus vitæ Theodorus, & intra paternæ domus septa religio-

religiosos mores ac disciplinam imitabatur, crebris votis cælum pulsabat, inedia se emaciabat, quoad à Pecusio quodam viro honorato ad S. Pachomium, cuius videndi desiderio maximo ardebat, deduceretur; à quo amicè & familiariter acceptus, ingēti suo gaudio, in religiosorum sodalitatem & domicilium est admissus. Vbi tantos intra paucos menses, in virtutis studio progressus fecit, vti seniores haberent, quod in adolescente mirarentur. Fluxerant pauci menses, cùm incensa mater filii memoria, quòd eum apud S. Pachomium versari accepisset, acceptis à Pontifice literis (quibus imperabatur: vti matri filius videndus & salutandus sisteretur) ad Virginum cœnobium, quod trans Nilum exaduersum S. Pachomii monasterio situm erat, aduolat: epistolam Pachomio mittit, Theodorum sibi exhiberi postulat. Pachomius fortem adolescentem accersit, literas episcopi ostendit, matrem ait adesse, velle suum sibi filium in conspectum adduci, proinde iret matremq; salutaret. Hic Theodorus: Si religiose pater, spondes me de hac re ad extremum Christi tribunal non accusatum iri, promtus obtemperabo: Tute nō ignoras, me & mortalia omnia, cum ipsa matre, Christi nomine reliquisse; & illum Christi so-

ti societate indignum, qui patrem & matrẽ plus diligit Christo. Quid cæteri commilitones mei religiosi cogitabunt, quos exemplo meo grauissimè offendam. Hæc & his plura cum Theodorus excusasset; Pachomius ego te fili, inquit, nolentem non cogo, si tibi rem fraudi fore existimas, vtere tuo consilio. Mater vbi de videndo filio desperauit; mansit & ipsa inter religiosas virgines, vt saltem olim illum inter reliquos cœnobitas spectaret, & simul suæ saluti consuleret. Ita Theodorus matri se negando, matrem iuxta secum seruauit, quam fortasse perdidisset indulgendo. Peritus ergo rerum diuinarum, etiam Archelaum, à mala domesticorum visendorũ consuetidine abstraxit. Possem hoc loco domesticum collocare exemplũ de eo qui mecũ eodẽ contubernio in ipsa Societ. est vsus, & post diuinæ & humanæ sapientię spacia decursa, sacerdotij honore insignitus, magno scientiarum thesauro comparato semel duntaxat ex itinere salutauit parentes, & illorum artibus à corpore Societ. auulsus apud matrem velut ad Sirenum scopulos allisus naufragium fecit, hæsitque ditibus primùm parochijs auctus, censibusque annuis instructus, quos sanè non diuturnos collegit, nam ex altercatione inter

hunc

hunc & virum nobilem exorta, ferro traiectus concidit, & præteritæ vitæ laudem apud nos actæ corrupit, & fortè quod nolim, spē futuræ exuit. Quis nō sentit, planeque oculis tangit, veram esse Christi vocem: *inimicos hominis esse domesticos eius.*

DE S. DOROTHEO.

V.

En capite de calumnia & contumeliis, Et ipso Dorotheo.

S. Dorotheus de se ad nostram institutionem hunc in modum narrat. In religioso Seridæ abbatis phrontisterio annos nouem traduxi, nec memini quemquam à me verbo incondito læsum, quamuis ex officio mihi attendēdum esset, ne quis quid diceret, quod non deceret; & esset, qui me ipsum ab ipso valetudinario ad templum vsque secutus, perpetuis maledictis insectaretur. Imò cum ad cœnobij præsidem, nescio à quo, reus esset delatus, & ille animaduertere vellet in contumeliosam linguam, ego patris vestigia complexus, per, inquam, ego te Christum oro pater, parce illi; ego erraui: ille causam habuit, cur id faceret. Quin & alius in eodem cœnobio, (qua de causa nescio, an ex animo malè erga me affecto, vel simplici ingenio, Deus nouit) diu fædum lotij humorē noctu ad

ad caput meum effudit, ita vt etiam lectum meum olenti sentina aspergeret. & alij quidam tegeticulas suas interdiu ante cubiculum meum excusserunt; vnde tanta cimicũ copia meam cellam inuasit, vt à me nullo modo possent confici. Nam ex æstus tum ingentis ardore, vis extitit infinita. Quando dein noctu profectus sum cubitum, illa me colluuies totum cooperuit, & quamuis me somnus ex diurno labore fatigatum occuparet, vbi tamen euigilaui, toto corpore corrosum & veluti stigmatis vndique notatum & compunctum vidi: nec vnquam cuiquam dixi, ne facito; aut quamobrem hoc facis? nec vllam vnquam vocem misi, qua alterum vel percellerem, vel affligerem; nec indignatus sum vnquam. Macte patientia Dorothee, vbi nostra virtus hodie, qui nec frontem alterius caperatam, aut contractam ferimus? tu vltimas contumelias, & cimicum agmina in te immissa, quæ te tantum non mactarunt, etiam vultu dissimulasti, nullo signo impatientis animi dato. Rubor os totum occupat, cum hæc lego & negligo.

ADILOS.

ADILOS.

VI.

Ex cap. de Castit.

VEnit in solitudinē (vbi anachoretæ Deo operātur) tanta vir seu potius adolescēs innocentia & animi corporisque verecundia, vti nesciret, an vllus in mundo Veneris vsus vnquam, aut voluptas extitisset aut extaret. Hic dum in suo gurgustio desidet, inexpertum adorti veteratores & artifices scelerum impuri & damnati genii tironē Christi cingunt vndique, & latentem naturæ sensum excire mouereque moliuntur. Hic nouus asceta Christi, sublatis paulum oculis, immanem stygiarum laruarum turbam ad incendium libidinis excitandum in se cōcitatam contemplatus, hoc inquit membrū, homo accepit à natura, vt velut ex poculo rostrato aquam, quam in vesica velut cratere continet, effundat. Dum hæc dicit, saxum è tecto decidit, simulque dulcem quandam vocem ad aures allabi sentit, quam secum aliquantulum arbitratus surgit, & ad religiosum quendam patrem profectus, eidem exponit quid sibi euenerit: qui se rem, quid sibi vellet, negauit intelligere & porro misit ad abbatē Pœmenē, qui narrata causa, vidisti inquit, malos genios. Lapis è tecto pro-

prolapsus ipse cacodæmon est, vox autem illa quam audisti, desiderium est & titillatio corporis, proinde caue tibi, & in auxilium voca supplicibus votis Dominum, vt tibi suppetias eat, & bellum hoc ac tempestatem incolumis euades; docuitq; illum rationem cum hostibus certandi, & bene precatus abeunti, impertitum pace dimisit. Reuersus ille in cellam cœpit opem numinis suppliciter implorare, simulq; cum tartareis lupis acerrimè confligere; Adfuit adoranti Deus eaque simul gratia dignato, vt excedentium è vita reliquorum statum agnosceret, vel optandum vel deprecandum.

VII.

VErsatus & alius anachoreta in desertarum siluarum silentio, omnino ferè quid fæmina esset ignorabat. Dolebat hæc pura mens innocentis, impuræ beluæ, quæ flammas Cupidinis juuenili corpori subijcere cœpit, & iuuenis quidem vrebatur, sed ex innocentia, quid id sibi vellet, prorsus non intelligebat. Fædas imagines & vsum tori oculis & animo simplicis, serpens infernus obiecit & impressit. Sed Deus artes impuri spiritus, & fraudes ac insultus videns, pro suo cliente propugnauit, bellumque sedauit.

Nunquam enim auctor & fons honestatis Deus patitur suos athletas ignaros huiuscemodi militiæ, artibus hostium circumueniri, nisi degeneres nolint ipsi manum admouere & hastam clypeumque sumere, quibus impia tela sceleratissimi hostis possint retundere.

συνθέσθαι καὶ νίχεῖρα

IIX.

EX GERONTICO.

Ex cap. de animorum reconciliatione & mutua offensarum remissione.

DEgebat in monte Athlibeos asceta illustris, quẽ subito oppresserunt latrones, sed opem inclamanti vicini suppetias venerunt, & prædones malè multatos traxerunt ad tribunal magistratus, & in vincula coniecerunt. Quod cum cæteri anachoretæ ibidem versantes cognouissent, magno dolore confusi, sua caussa miseros esse proditos dixerunt, vnaque ad Pœmenem abbatem profecti, rem illi factam significarunt. Qui ad seniorem accusatum propter grassatores vinctos in hæc verba litteras dedit. Cogita primam tui ipsius abs te factam proditionem vnde nata sit, & videbis alteram. Nisi enim prius interiorem apud te proditionem instituisses, ad alteram miserorum non fuisses progressus. Hac senior epistola Pœmenis viri sanctitatis fama longè lateque celebrati, (nun-

(nunquam enim pedem è latibulo suo efferebat) perlecta properauit in vrbem, captos è vinculis exemit, & libertati suæ restituit. *Clausus Pæmen.*

IX.

S. Zosimas retulit nobis venisse Tyrum, vbi ipse tum in cœnobio viuebat, seniorem Deo plenum, lectaque tum in cœtu fratrum dicta responsaq; patrum, apophtegmata appellata, quæ ille beatus hospes omnia percurrerat, & ex memoria reddere poterat, magnosq; inde fructus virtutis decerpserat. Nos cum legendo peruenissemus ad illum patrem, quem latrones inuaserant, palamque professi erant, se adesse, vt omnia, quæ in illius domicilio essent, secum auferrent: & ille respondisset, accipite quæcunque vobis placent filij. illique direpta cella & spoliata recessissent, & senex spoliatus vidisset marsupium relictum, illo arrepto insecutus prædatores filij inquit, accipite & hoc, quod obliti estis in ædicula mea: latrones eo facto perculsos & demiratos senioris bonitatem, prædam vniuersam retulisse, & de sceleribus Deo satisfecisse dixisseque: Ita nos Deus amet, vt hic pater sanctus est. Hoc ergo cum lectum esset, peregrinus ille pater, nosti, inquit Zosima quantopere *Ex eod.c.*

mihi huius ſpoliati anachoretæ patientia & dictum profuerit? Et Zoſimas, narra pater. Cum inquit propter Iordanem verſarer, legi hoc apophtegma, & miratus virtutem ſenioris, Domine, inquam, da mihi horum virorum perſequi veſtigia virtutum, quorum geſto cultum. Ergo cum hoc illorum imitandorum deſiderio tenerer, poſt biduum adfuere ſperati hoſpites, latrones inquam, qui dum fores pulſarent, agnoui illico eſſe, quos exſpectabam, & tacitus Deo grates memini, en aio, iam eſt vbi deſiderij tui fructũ oſtendas. Reſerato oſtio qua potui illos ſignificatione gaudij & lætitiæ excepi, incẽdiq; lucernam, & oſtendi quidquid habebam. & ne, inquam, ſolliciti ſitis, ſic mihi ſit Deus propitius, vt ego nihil eorum, quæ habeo, condam. Et illi: habes aurum: Etiam inquã, tres numos, & aperta capſa, inſpectantibus illis dedi: quibuscum pacati abierunt. Ego mihi, inquit, videbar beatus, quod benefaciendi mihi copia fuerit oblata. Sed inquam ego, ſunt ne ad te reuerſi latrones, vt ad illum ſeniorem? Non faxit, inquit, hoc Deus, nec enim hoc volui, vt virtutis meæ proclamandæ cauſſa reuerterentur. En inquit Zoſimas, quantum huic ſeni affectus bonus & paratus animus profuerint, non ſolum enim iniu-

ria

ria latronum non afflixit illum, ſed etiam gaudio ſingulari affecit, quod tali munere à Deo dignatus fuerit.

X.

AFfirmabant ſancti patres in accuſatione ſui, ſuique vera cognitione ac modeſtia perfectam conſiſtere animi tranquillitatem, eamq; ſolam viam eſſe ad pacem animi comparandam, quod eiuſmodi facti narratione Zoſimas confirmauit.

Verſatus ſum, inquit, aliquandiu in cœnobio abbatis Geraſimi; vbi habui quendam familiarem, cum quo per occaſionem inſtituto de rebus ad ſalutem pertinentibus ſermone, mentionem feci adhortationum Pœmenis abbatis, & alterius. qui omnino ſe ea quæ à beato Pœmene dicta eſſent, vſu ipſo comperiſſe, vera eſſe conteſtatus eſt, plenamque animi quietem adeptum. Olim enim, inquit, mihi diaconus fuit in Laura ſincerus & carus, cui neſcio quæ de me iniecta ſuſpicio eſt facti, quo ſe offenſum oſtendit, quem ego cum triſtem cernerem, quæſiui quid in illo offendiſſem: Hoc, inquit, feciſti, & expoſuit factum. Ego conſulta conſcientia me penitus alienum ob omni culpa ratus, cœpi excuſare innocentiam; ſed ille, ignoſce in-

quit,excusationem non admitto. Abij ego in latibulum meum, & excussi omnes animi recessus, vtrum tandem id in me admisissem,cuius ab illo reus postulabar, nec affinē me vllo modo culpæ agnoui. Ergo cum diaconus sacrosanctum calicem in manibus haberet, & aliis propinaret,iuratus dixi, exortem me criminis esse, de quo me insimulasset;Cum nec dum acciperet satisfactionē, regressus in cellam, reuocaui in memoriam sanctorum Patrum præcepta de sui ipsius accusatione: & vera esse persuasus, vocaui in consilium cogitationes, mecum hæc pertractando:Diaconus sincerè me diligit, & amore aduersus me impulsus,ausus fuit mihi, quæ dictabat illi animus de me, significare, vti de cætero attendam & caueam, ne quid huiusmodi committam. Verū infelix & misera anima, quia mihi suggeris te non designasse cuius argueris, noueris te infinita mala patrasse, quæ ignoras nec agnoscis. Quorsum euanuēre,quę heri egisti, aut nudius tertius,aut nudius quartus, aut nudius decim⁹, meministi illa? Nunquid ergo & hoc fecisti, quod tibi perinde ac alia excidit? Induxi ergo animum, vt sibi persuaderet, omninò & hoc factum esse, quod Diaconus obiecisset,sed ex memoria nō secus ac alia esse deleta;

leta; cœpiq; Deo & diacono in acceptis referre quod in cognitionẽ delicti mei & erroris deuenissem. In hoc cogitationũ consilio, adii ad Diaconum, vti deprecarer erratum, & gratias memorarem, quod meum ipsius peccatũ agnouissem. Pulsantem fores, aperto ille ostio anteuertit, locumq; pœnitudinis occupat, & remitte inquit, mihi culpam, à malis enim lamiis delusus, per suspicionem impegi tibi crimẽ, quod nũquã cogitasti. Deus quippe me docuit, te omni culpa vacare. Adiecit etiã hoc Zosimas: cũ nihilomin⁹ vellet pacẽ & veniã ab eo poscere, illũ nullo modo permisisse sibi satisfieri. Et en, inquit vir sanct⁹, vti sincera sui cognitio, abiectio & cõtemptio cõponant animũ desiderãtis illam? vt inquã nõ solũ non offenderetur in diacono, nec tristi sensu aduersus illũ tãgeretur (primũ eiuscemodi crimẽ de se suspicãtẽ, deinde nullam facti quoq; excusationẽ admittentẽ) sed etiam ipse sibi culpã transscriberet, imò verò etiam gratum se exhiberet erga Diaconum, cuius opera ab errore fuisset liberatus. Viden, inquit quid possit virtus, ad quos gradus perfectionis admoueat, ad illam enitentem? Poterat animus si voluisset mille occasiones ex diacono arripere, quib⁹ in Dœmonẽ degeneraret. Posteaquã flexit cursum ad vir-

tutis metam, non solum nullam admisit ab eo molestiam, sed magnas etiam gratias habuit, quod per eum ad virtutem capessendam esset inductus, sic ergo nos ipsos vsquequaq; reos agnoscamus. Politicus quidam, sed pius, Deiq; amans, vir celebris, Barsanuphio posuit hanc quæstionem: si, inquit, certum & exploratum sit, à me peccatum non esse in alium, sed ab alio me offensum, quomodo meipsum reum pronunciabo? Vt si ego exempli causa, per viam incedam alicubi, & occurrat mihi viator prorsus ignotus, qui nec verbo læsus, me tamen inuadat & pulset; quomodo me possum in hoc culpandum agnoscere, aut me ipsum reprehendere? Poteris, inquit Barsanuphius, reprehendere fateriq; te errasse; nisi enim viam hanc ingressus esses, in latronem non incidisses, nec ille tam male te multasset.

Idem Zosimas cum sodali suo & quibusdam vrbanis iter ingressus venit ad teloniũ. Et politici quidem statim de more vectigal porrexerunt publicanis; Socius verò Zosimæ tergiuersari cœpit, &: audetis inquit, monachos poscere vectigal? Quod ego cum audirem: Quid, inquam, agis frater? næ tu nihil aliud dicis publicano, nisi vt volens nolens te pro sancto colat. Nonne decuisset illum

lum animaduersa nostra prompta pendendi vectigalis voluntate, & modestia mansuetudineq; cognita reuereri nos, & dicere: ignosce? Quin ergo vt Christi mitis & modesti discipulus, pende tributum, & pacatus abi.

XI.

ERat in episcopio Diaconus quidam, cui Sabinus nomen fuit, qui notarij calligraphi munus fungebatur, vir ingenij mitis, & vitæ honestate conspicuus. Porro in palatio pōtificis eramus monachi omnino octoginta, inter quos potissimum elucebat Sabinus, quem Epiphanius Ecclesiasticarum causarum iudicem designârat. Habebant controuersiam duo quidam inter se apud Sabinum, quorũ alter erat copiosus, alter tenuis erat. Sabinus studebat pauperi magis, quamuis diues æquiorem haberet causam, quam inops. Epiphanius vtriusq; rationes, & Sabini iudicis clementiam in miseros, ex occulto arbitrabatur, & cum à Sabino non pro æquo & bono iudicari animaduerteret, progressus in medium Epiphanius, modestè Sabinum compellat: Abi, inquit, fili, ad tuum scribendi & notandi officium, & reuoca in mentem sacrorum oraculorum decreta, & ex equo iure quamcunq; causam decide, memor sacri

Exod.23. illius præcepti. *Pauperis quoq; non misereberis in iudicio, nec respicies personam potentis.* Ergo deinde Epiphanius ipse caussas omnes omnium cognouit, deditque operam iudiciis à prima luce vsque ad tertiam horam pomeridianam, à qua hora ad alterum vsq; mane nunquam amplius ab vllo mortalium conspiciebatur.

XII.

Ex cap. de obedientia. FVit ex SS. patribus, qui diceret; vehementer obesse religiosæ disciplinæ studiosis ac discipulis, imò planè exitiosum, si pro suo sensu sibi magistros morum & vitæ duces eligant. Etenim huiuscemodi ductores viæ, viatores suos in arduis montium & abruptis precipitiorum perdere consuesse. Proinde etiam atq; etiam expedire illis, vt moderatorem seuerum per omnem vitam sustineant, qui non dissimulet suorum vitia, nec cum suis colludat, ipse parum emendatus.

S. Theodorus pater è S. Pachomij officina & disciplina progressus, olim à Pachomio (nescio ob quam offensam) punitus & censura notatus à reliquorum cœtu remotus est. Priusquam vero ab eo recederet: habeo, inquit pater, quod transigam in Monchonse, mitte me quāprimum reuersurum. Missus

Missus absque comite per viam in lacrimas effusus: Domine Deus inquit, est ne locus veniæ, possumné redire tecũ in gratiam? adhuc ne spes est salutis? Et cum ad Chenoboscêũ, locum, pascua anserum, dictum peruenisset, conscendit illico nauigium, in quo seniores quosdam offendit, ex quibus vnus quidam apud alium cœpit beatum prædicare Theodorũ; sed alter: quid miserum vt beatum celebras: cùm nondũ ad gradũ * margonij peruenerit: Et primus: quis est iste gradus perfectionis seu margonij? Duxit ergo ei simile di-cẽdi initiũ. Colonus inquit, erat durus, acerbus & molestus, qui cũ nemo poterat operarum annum perseuerare. Incitatus quidã ad illum profect⁹, suam illi operã obtulit. Bene habet, inquit agricola. Cum dies adesset, quo irrigandus erat ager; hauriamus inquit aquã internoctu, non interdiu, ad rigandum agrum. sapienter inquit alter ad colonum, vti nemo ex hausta à nobis aqua nec hominum nec pecudum, nec aliorum quisquam bibat. Rursum quando arandum erat: sementem, inquit domin⁹, ita faciemus: sulcũ hunc frumento cõseremus, alterum hordeo, tertium legumine, ac ita deinceps reliquos agri versus. & mercenarius: Hæc maior est inquit etiam priori sapientia, vti semen nostrum & à

τὸ μάργω νὸς τί ἐστι μαργώνιον est genus mensura arida.

varie-

varietate quasi * Deus efflorescat, imo & fœnum quoque absq; semine & colonus: age metamus. & demessa est seges; quæ adhuc erat immatura & viridis. Magnum, inquit seruus, hoc lucrum est paleæ: floret enim pulchrè & viret: Tum herus: adfer margoniũ, & dimensum transferemus. Hoc prouidentissimè inquit famulus, sic enim & palea seruatur, & simul quantus sit numerus frumenti cognoscitur. Posteaquam ergo illum in omnibus exploratum probauit, & obsequentem & felicis ingenij animaduertit, tu, inquit colonus, de cætero nequaquam eris ex numero mercenariorum, sed filius & hæres. Quapropter & hic monachus (inquit senex) poterit esse beatus, si margonium seu mensuram (obedientiæ) impleuerit. Tum alter ex senioribus: Similitudinem absoluisti; expone comparationem. Colonus, inquit, Deus est; durus autem, quia suis seruis crucem ferendam imponit, & iudicium seu voluntatẽ animi cuiusque rescindit, qui illi se deuouit, Pachomius ergo, huius religiosus pater Deo ad nutum in omnibus obsecutus, illi vsquequaq; gratus acceptusque est. Quod si hic quoque ad Pachomij imitationem virtutem & exemplum (patientiam exercuerit) Dominum sustinuerit, erit & ipse regni cæle-

cælestis hæres. Hæc cum audiret Theodorus admirabundus, stupebat tam dicta quàm dictorum auctores, & ingressus nauem subductos è conspectu omnes animaduertit: fuerunt enim cælites à Deo missi ad Theodori emendationem & S. Pachomij consolationem.

TIRO.

XIII.

Religiosus quidam frater secessit in solitudinem, & cella abditus apud alios se iam anachoretam esse iactabat; quod vbi seniores cognouêre, exturbârunt eum è suo gurgustio, coëgeruntque obire singulorum ædiculas, ac supplicem profiteri se non anachoretam, sed tironem & nouitium esse. Et adiecere patres; si videas nouitium hominẽ sua volūtate in cælum euolare, prensum pede detrahe, hoc enim expedit illi.

Ex cap. de sua & aliena voluntate.

XIV.

S. Anastasia sanguine fidem testata, cum apud Præfectum Illyrici in vinculis esset, & ille virginis ingentes opes, quas possidebat, suspiraret, illam collocutus: intellexi, inquit, mulier tibi magnam vim auri esse, & te Christum colere; si ergo sponso tuo obtempe-

Ex cap. de eleemosyna & martyrio S. Anastasia

tempe-

temperas, qui diuitias vobis contemnendas præcipit, mihi illas omnes assigna & impertire, vnde geminum commodum percipies; nam & legi sponsi tui satisfacies, & à me omni pœna tormẽtorum soluta pro tuo voto liberè poteris Christo tuo operari. Cui S. Anastasia, absit hoc, inquit, ô iudex, nam à Christo meo in sacra lege dictum est. *Vende quæ possides & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis.* Tu vero copiosus cum sis, quis adeo vecors & excors adeoq; infelix erit, vt quæ egẽtibus destinauit, diuiti largiatur, fameq; pallentib⁹ subtracta luxuriosis impertiat? Quod si te fame laborantem, siti exhaustum, veste spoliatum, custodiæ mancipatum videro, tunc ego tibi ex Christiana lege alimẽta porrigam? calicem propinabo, pallio contegam, in vinculis reuisam, & in omnibus difficultatibus succurram.

Matth. 19.

XV.

Ex eod.

NArrauit patrum quispiam fuisse religiosissimo monacho matrem pauperem, cumque profectum, vti panes illi suppeditaret; in itinere accepisse vocem è cælo: Gerisné curam matris tuæ an ego? Intellexit illico cœnobita, quid sibi vox vellet, & humi stratus, Tu domine, inquit, prouide nobis, reuersusq;

fusq; est ex itinere in suam cellam. Triduo post, venit mater ad filium, &: ille, inquit, monachus aliquid mihi frumenti elargitus est, tu confice nobis inde opsonium, vti vitam toleremus. Lætus hoc matris nuncio filius, meritis Deum gratiis veneratus, spei plenus, maiores in virtutis studio progressus fecit.

XVI.

VErsabatur in solitudine senior, qui ex manus precio & ipse victum sibi parabat, & egentibus quod supererat, tribuebat. Famis tempore mater ad eundem filium amandauit, vt aliquid à patre cibi referret. Quæsiuit pater ex nato: suntné fili etiam alij in vrbe, qui æquè ac vos esuriunt? Et multi inquit filius: tum fores cellæ pater claudens spectante filio, lacrimabundus, abi, inquit, mi fili, ille qui cæteros alit, & vos alet. Rogauit hunc postea ex monachis, an non senserit magnam in animo perturbationem, quod ita filium suum à se, & se à filio suo auerterit? Et pater: Nisi quis, inquit, in singulis suis exercitationibus magnam sibi vim inferat, nullum inde laboris prœmium reportabit. *Ex eod.*

XVII. Erat

XVII.

ERat religioſo viro germanus quidam magna preſſus inopia, cui, ſi quid ex opere ſuo comparaſſet, largiebatur, ſed quo plus hic dabat, hoc magis alter in dies egebat. Retulit hanc rem monachus ad religioſum ſenem, qui, ſi inquit, me audias, nihil illi porriges; ſed vbi reuenerit, in hæc verba reſpondebis: frater quod habui, dedi, iam tu viciſſim, ſi quid opera tua quæſieris, mihi adfer. Si quid ergo tulerit, accipe, & in mendicos & ſeniores partire, & roga, vti Deum illi propitient. Paruit conſilio patris monachus, & cum frater illius rediiſſet, fecit quod ſenior monuerat religioſus. Mœſtus ergo à fratre frater diſceſſit, & altero die attulit quædam ex horto ſuo oluſcula; quæ alter accepta ſenibus miſeris obtulit, rogauitq; vti fratrem ſuum Deo commendarent. Reuerſus dein alio die attulit & olera & panes tres; que itidem alter vt ante in pauperes diſtribuit; rediitq; frater cum pia apprecatione domum. Vbi tertio reuenit, magnum ſecum commeatum apportauit, eſculenta, vinum, piſces, panesq;, quæ monachus admiratus, vocatos mendicos expleuit epulis, & compellato fratre, non eges, inquit, amplius pane? Non, inquit, Domine, Quando abs te panem acceptum

tum ædibus intuli, perinde fuit, ac si ignem inferrem, qui omnia popularetur. Posteaquam abs te nihil accepi, Deus benefecit mihi, opesque indies auxit. Quæ postea cùm, digresso fratre, alter seniori referret: An ignoras, inquit pater, monachi opus & laborem ignem esse, qui omnia, quæ inferuntur, absumit. Quamobrem ex re magis hominis politici est, vt ipse ex suo eleemosynam porrigat religiosis, & à sanctis, votis piis adiutus, opes suas amplificet.

XIIX.

PRætor prouinciæ conuenit S. Pœmenem anachoretam eius visendi causa, sed non admissus rediit in prouinciam, & per speciē admissæ noxæ, sororis anachoretæ filium in vincula coniecit, matrique renunciauit, se non dimissurum ex carcere, nisi Pœmen frater auunculus veniret supplicatum pro filio. Abijt soror ad Pœmenem, & ad cellæ ianuam cum multis lacrimis precata est fratrē, vti suum sibi filium sua præsentia è custodia liberaret. Sed obfirmatè tacuit Pœmen, nullo sororem dignatus responso, quæ indignatione commota conuitiari cœpit: An chalybem, ferree, gestas in pectore? miserere sororis, quia vnicus est ille mihi filius. Misit ergo *Ex eod. cap.*

qui diceret: Pœmen liberos nullos procreauit. Reuersa illa ad præsidem renunciauit se nihil profecisse; tum præfectus: si vel imperauerit mihi verbo, dimittam illum. Et Pœmen: lege cum illo agas, & si affinis fuerit culpæ, moriatur; sin innoxius, pro tuo arbitratu de illo pronuncia. Nonne hoc est exuisse omnem erga sanguinem suum affectum? Hic certè aut nullus mactauit sensum suum, & illam
Luc. 14. Matth. 10. & 16. Christi vocẽ audiuit paruitque. Qui nõ odit patrẽ & matrẽ & sororẽ, adhuc autem & animam suam non potest meus esse discipulus.

XIIX.

Ex eod. c. S. Macarius olim visit ad monachum morbo laborantem, quæsiuitq; ecquid desideraret? Parum, inquit, panis recentis ex flore farris melioris. Pinsebant eo loci tum religiosi farinam ipsimet ad vsum totius anni, hic enim illic mos obtinuerat. Ter ergo beatus ille suoq; nomine dignissimus Macarius, homo natus annos nonaginta, ea ætate profectus Alexandriã, panes, quos secũ aridos & siccos acceperat, delicatiorib' permutauit, & ægro allatos porrexit. Macte senex labore, virtus nunquã languescit, viget in fractis mẽbris, & frangitur in delicatis. Seniũ nõ sentit charitas.

XX.

Ex eod. c. Illustrius est quod perpetrauit Agathon

vir'

vir omnium qui vnquam fuerunt religioſorum, experientiſſimus, & ſummus taciturnitatis iuxta ac quietæ vitæ cultor. Hic in publica vrbis celebritate abiit vt ſportulas, ſeu quod ipſe manu ſua confecerat opus, venum exponeret. Offendit illic abiectum in foro peregrinum, & grauiter ex morbo affectum. conduxit ædes, & ægro in ijs ipſe miniſtrauit, & quidquid manus precio comparauit, illi impendit conductique domicilij penſionē ſoluit, & ſex ipſos menſes in eo ægri miniſterio, quoad alter reualeſceret, collocauit. De hoc (vt in rebus ab eo geſtis notatum) fertur dictum: Quæſiui ego ipſe, quo pacto morbum decumbentis in me deriuarem, & meum corpus ipſius corpore permutarem. Nonne hæc demum eſt perfecta charitas?

XXI.

NOta quidem ſunt, quæ de S. Ioanne hierarcha Alexandrino, cognomento Eleemone narrantur, ſed ex notis commemorabo vnicum factum, vnde alia pendent, quæ vulgo cognita non ſunt.

Beatus Ioannes ad cæteras virtutes omnes, quas ſibi pepererat, & hoc adiecit, vt in viliſſimo lecto ſomnum caperet, & ſtragulis in

Ex cap. de Eleemoſyna facta ex alienis bonis, ex Vitis patrum

in suo conclaui miserandis tegeretur. Quod vbi animaduertit quidam ex ciuibus, conuenit illum, & contemplatus centonem lacerum, & vestes abiectas quibus tegebatur, misit illi * stragulum triginta sex aureis comparatum, multum precatus, vt in gratiam donantis illo se tegeret. Pontifex accepta veste, ob singulares munerarii preces, vnicam noctem vsus est, & insomnis & peruigil tota ferè nocte hæc sibi obiectabat: Quis dixerit postremissimum Ioannem? (sic enim se ipsum consueuerat appellare) pallio gausapéue triginta sex aureis emta tegi, cùm interim Christi fratres frigore obrigescant? Quàm multi modo gelida bruma tremuli dentibus strident? Quàm multi infra supraq; semitecti storea, porrigere pedes non possunt, sed velut in globum collecti tremunt? Quàm multi per montes iacent incœnati in tenebris, & gelu inediaq; contabescunt? Quàm multi explere famen desiderant foliis truncatorum leguminum, & olerum è culina mea reiectorum? Quàm multi cuperent tingere bucceas iure à meis cocis effuso? Quàm multi optant bibere odorem vini in cella mea destillantis? Quàm multi in hac ipsa (Alexãdria) peregrini exclusi tectis in foro dormiũt, fortè etiã imbre pluuiaq; irrorati? Quàm multi toto mẽse

aut

Vixit 610. Episcopus factus, 23. Ioan. Martyrol.

** Apud Metaphrasten legitur cilicium, in latino haud dubiè perversè. In patrum historia operimentum. Gracè est γουνάχιον*

aut bimestri toto, nunquã oleũ libant? Quàm multi vna eademq; per hyemem & æstatem veste teguntur. Tu verò Ioannes sempiternæ quietis spe plenus, & vinum potas; & piscinas exhauris, & in cubiculo quiescis, & modo præter cætera omnia mala etiam stragulo triginta sex numismatis facto intepescis. Næ tu per talem vitæ indulgentiam, parata in cælo bonorum gaudia necquicquam speras & expectas; sed planissimè quod ille diues audiit epulo, audies. Recepisti bona tua in vita tua, mẽdici verò mala. Nunc ergo illi cõsolatione fruuntur, tu verò cruciaris. Testor ego vltimus Ioannes sanctum Deũ, me in alterã noctem tegmen hoc non adhibiturum, par est enim Deoque gratum, vestiri centũ quadraginta quatuor fratres, quos tu, præ te miser, dominos tuos agnoscas: vno quippe numismate quatuor * lacernæ seu pallia venibant. Quàm mox ergo illuxit, misit qui Gunachium seu stragulum venderet, quod vbi vidit is, qui pridie illud Patriarchæ obtulerat, emtum rursus triginta sex aureis remisit Pontifici. postridiè cùm idem venum expositum cerneret alter, tertio redemit & Ioanni remisit obnixè precatus, vti eo per noctẽ vteretur. Tum Ioannes ad ciuem blandè & iocabundus: Videbimus inquit, vter ex no-

[margin: ἐγγύλχιον (beside "stragulo")]
[margin: * Recanel. la barbarè]

bis prius fatigari possit, ego vendendo, vel tu redhibendo. Erat ille ciuis admodum copiosus, quem sensim quasi vindemiator carpsit. Affirmabat enim eum, qui (animo miseros subleuandi) possit, commodè locupletibus etiam intimam tunicam detrahere, non peccare, præsertim si duri, sordidi & immisericordes fuerint. Ex quo duo commoda assequitur, qui hoc facit. Primum quod seruet animos auarorum; alterum quòd & ipse non exiguum sibi præmium conciliet apud Deum. Ad quam rem testandam attulit exemplum S. Epiphanij & * Ioannis Hierosolymorum Pontificis, qua argentum à Patriarcha arte extorserit, & in egentes elargitus sit, vt infra leges. Cùm autem sapientissimus Ioannes Eleemon didicisset quempiam liberalem esse in miseros, accersitum gratulabundus percuntabatur, qua ratione ad affectum & misericordiam in pauperes, peruenisset, naturáne & ingenio ad benignitatem prono, an coactus & vi aliqua sibi facta? Hac quæstione alij perculsi præ verecundia reticebant quæ rogabantur, alij quod res erat fatebantur. Quidam ex his rogatus, in hæc verba respondit: Ego, domine, bona fide, nihil do, nihil boni facio. Quin hoc ipsum quod facio, & mi-

*Qui ante Eleemonem rexit Ecclesiam.

& miseris porrigo, Deus & pietas tua mihi largiuntur, ita consueui. Eram primum durus & ferreus in pauperes: Accidit vti die quodam confusus ad magnas redigerer angustias, cùm ita mecum ratiocinatus sum; næ tu, si fueris benignus in egentes, à Deo nunquam desereris. Decreui igitur deinceps quotidie in mẽdicos quinque folles siue numulos tribuere; cumq; largiri illos cœpissem, malus genius me retardauit, cùm mihi suggereret: Hi folles quinque seruient in vsum familiæ ad olera emenda, aut balneum; proinde extemplo velut è faucibus natorum subtraxi illos mendicis, nec quicquam dedi præterea. Posteaquam autem animaduerti me affectu auaritiæ superatum, præcepi famulo: Tu quotidie inquam, subleges clam me, de pecunia mea numos quinque, quos pauperibus erogabis. Eram quippe trapezita seu collybista. Seruus meum executus imperium, non quinos, sed denos quotidie folles, quandoque etiam ceratia siue siliquas miseris porrexit. Atque cùm ex ea re augeri nobis rem familiarẽ vidisset, cœpit & trimisia largiri. Miratus ego nostras ex diuina ope copias. Profectò inquam, fili quinq; folles numuliué magna nobis pe-

Folles apud Epiphanium numi minuti.

βαλανεῖον.

perere commoda, poſſis iam dare denos: tum mihi famulus ſubridens: Perge bene precari furtis meis, nam hodie non erat nobis, quo frueremur, panis. Enimuerò ſi fur quiſpiam ſanctus & iuſtus eſt, næ ille ego ſum. Tunc teſtatus eſt ſe non folles & numulos, ſed ſiliquas & trimiſia erogaſſe. Deinceps ergo propter illius fidem cœpi ex animo elargiri quantum potui. Tum Patriarcha mirificè recreatus, crede mihi, inquit, multa legi ſanctorum patrum exempla, ſed nihil vnquam huiuſmodi cognoui.

Folles minimi: ſiliquæ maiores: trimiſia maiora ſiliquis.

Non ille Eleemon, ſed diu ante Ioannem rector Eccleſiæ.

Venit Hieroſolymis Diaconus in Cyprum ad S. Epiphanium & expoſuit illi, quàm ſtudioſus eſſet pecuniæ Pontifex Hieroſolymitanus Ioannes, magnamque vim arcis ſtiparet, & nihil miſeris largiretur. Hic porrò Ioannes degebat in cœnobio magni Hilarij, verſabaturque cum eodem S. Epiphanius. Scripſit ergò (cum in Cypro eſſet) illi epiſtolam Epiphanius, vt rationē duceret aliquam eorum, qui inopia premerentur. Sed Ioannes neglexit adhortationē Epiphanii. Quāobrem longo poſt tempore Epiphanius acceſito diſcipulo: proficiſcamur, inquit, Hieroſolymam ad veneranda Chriſti veſtigia, poſtea reuerſuri. E Cypro ergo profecti appulimus Cæſaream Philippi, inde Hieroſoly-

mam

nam aſcendimus, vbi in Epiſcopium ingreſſos ſimul ac vidit Ioannes, ingenti gaudio Epiphanium cõplexus eſt, quem Epiphanius, vti filium allocutus, ædes, in quibus diuerſaretur, petiuit, quas nobis ſplendidiſſimas aſſignauit, & quotidie Epiphanium ad menſam adhibuit, cùm interea inopes nihil opis ab eo acciperent. Quapropter Epiphanius, mi pater, inquit, da mihi mutuum argentum ad miniſteria mea, multos enim viros mecũ habeo, quibus exhibebo tuas opes in elegantiſſimis ædibus tuis, præbe quæſo ſeruo tuo, quod ſit ad dignitatem tuam, prædicabo enim tua facta, & gloriatus de te, omnium etiam digitis aſſiduè monſtrabor: tantum retine memoriam mihi conceſſi argẽti, quod tibi vti decet poſtmodum totum redhibebo. Protulit Ioannes magnam argenti vim. Et Epiphanius: eſt ne tibi pater aliquid reliqui de argento? Et Ioannes: Satis inquit, erit pater hoc tibi in præſens. Profer obſecro, inquit Epiphanius, quod ſupereſt, vti hoſpites tui tua magnificentia perfruamur. Cùm protuliſſet omnem ſuppellectilem argenteam reliquam. Tũ Epiphanius: Liceat mihi procerib. hæc meis ſpectanda exhibere? Et Ioannes: omnia quæ poſſunt tuos oblectare, tecum aufer, quin & ad menſam tuam adhibe.

Accepto igitur Epiphanius omni argento quod libras pendebat mille quingẽtas (hoc est quindecim millia Philippæorum) rediit ad ædes ad diuersandũ sibi assignatas. Porro Hierosolymis erat tum Asterius argentarius, Romà negotiorum causa profectus: quem accersiri iussit Epiphanius, & pactus cum illo, argenteum illi instrumentum omne vendidit & in pecuniam redegit, quam Epiphanius totam diu noctuque certatim in egentes distribuit. Post aliquot dies Ioannes Epiphanium poposcit argentum. Redde inquit argentum quod tibi ad vsum hospitij & ministerij mutuum dedi. Et Epiphanius: sustine patienter moram & expecta fili, est mihi adhuc vsus illo ad plures alendos. Post aliquot rursum dies, cùm in templo staremus ad eum locum, vbi salutaris Crux CHRISTI seruatur: Iam ante, inquit Ioannes, dixi tibi, redde argentum quod dedi tibi: Dixi, inquit Epiphanius placidissimè, reddam tibi pater omnia. Tum Ioannes ardẽs iracundia prensum diploide Ephiphanium cõstringensq;: Non exibis hinc, inquit sycophanta, quoad reponas mihi argentum meum. Redde argentum quod dedi tibi, redde Ecclesiæ, quod est Ecclesiæ. Sed Epiphanius nihil hac contumelia perturbatus, in eodem

eodem ſtatu mentis perſeuerabat. Duas ipſas horas Ioannes Epiphaniũ retinens cõuitiis lacerabat, vt omnes qui aderant, è diuturna ſtandi moleſtia & audiendis Ioannis conuitiis fatigarentur. Epiphanius autem nequaquam illius maledictis abiectus, inſpuit in faciẽ Ioannis, & momento occæcatus eſt, omnesque præſentes ingens pauor occupauit. Tũ deinde Ioannes proſtratus humi ſupplex abiecit ſe ad pedes Epiphanij, vt illius patrocinio videndi facultatem recuperaret. Sed Epiphanius ad Ioannem: abi, inquit, & venerare ſanctam crucem, & præſtabit tibi quod petis. Sed Ioannes à veſtigiis Epiphanij non potuit dimoueri, infimis precibus Epiphanium exorare conatus. Tum Epiphanius datis, de contẽnenda pecunia & iuuandis pauperibus, præceptis, impoſuit manum Ioanni & oculo dextro recluſo, conſueta lux rediјt. Dein Ioannes & pro ſiniſtro deprecatus, quod petiit non impetrauit. Nam Epiphanius hoc, inquit, fili abſq; me eſt; Deus clauſit tibi lumina, Deus aperuit, vti viſum illi ita fecit; vti modeſtiam diſceremus. Ita Ioannes emendatus & caſtigatus à iuſto Epiphanio deinceps vt decuit ſanctum, ſanctè ſe in omnibus geſſit. Sequuntur in Patrico, exempla de S. Gregorio Ponti-

Pontifice & S. Paulino Nolano, quæ ex illorum historiis cognita prætermitto.

XXII.

Ex cap. de charitate.

VErsabatur sanctorum patrum quispiam in anachoresi sacerdos. Erat in eodem recessu solitudinis alius anachoreta, vtcunq; inde remotus, secta Manichæus & ipse inter suos presbyter. Proficiscebatur hic ad sui dogmatis consortem & tenebris ingruentibus deprehensus vesperi venit ad Catholici patris cellam, qui nouerat illum. Manichæus ergo in arcto versatus & rerum omnium incertus verebatur ad Catholicum patrem ingredi, vt ibi per noctem quiesceret, quòd timeret ne non admitteretur vt manifestus & notus sectæ Manichææ propugnator. Metu tamen (noctis imminentis & ferarum) fores pulsauit. Aperuit illico senex & agnitum singulari cum lætitiæ significatione recepit, coactumque secum precari somnum capere iussit (nullo dato suspicionis alienæ signo) per noctem Manichæus cœpit secum meditari charitatem patris, quod nihil suspicatus mali de se esset, illum pro viro sancto habuit, & (vbi diluculauit) abiectus & complexus pedes illius, Ego, inquit, Pater sancte ab hoc ipso momento in tuas orthodoxorum partes

con-

concedo. Nec ab eo postea recessit. Bonum verbum, bonum inuenit locum.

XXIII.

EX relatione Patris cuiusdam acceptum est, fuisse Constantinopoli puerum, cui Basilius nomen, versutum, impurum, & effrontem; in popinis & lustris assiduè versatũ, nec à prætextatis quidem verbis abstinentẽ, qui operam suam Domino, qui Patricius audiebat, addixerat; viro in paucis bono & liberali in pauperes. Basilius sextum decimum annum agitabat, in omnem luxum & nequitiam effusus. Ead. tempestate vrbem repente frigus asperrimum & intolerabile oppressit; ad quod & fames ingens accessit, vti quotidie mille admodum extinguerentur; & cùm hiems ita sæuiret, nemo erat qui cadauera terræ mandaret. Vbiq; ergo funera, vbiq; luctus, vbiq; miseriæ, vti pleriq; omnes, conductos seruos missos facerent; non pauci etiam vernas. Quin & complures liberos suos venum exponebant. Coactus etiam Patricius Basilium dimisit, qui primo statim die suam vendidit tunicam, & absumsit, tandemq; ad eam redactus est inopiam, vti nudus per vrbem & eiulabundus vagaretur. Tantum porro illum frigus occupauit, vti per manus pedesq;

Ex fine Patrum. ἀσχήμια. Corrupta vox.

pedesq; sanguis protruderetur. In tantis verò cæli iniuriis & vltima sua calamitate, cùm per multos dies vim tempestatis tolerasset, nihil vnquam effatus est aliud, quàm: Laudetur Deus. Quis vim frigoris immensam & inediæ cruciatus, cùm & acutissimo frigore adureretur, & fame grauissima torqueretur, & iram numinis in se frementem cerneret, vlla possit oratione assequi, aut verbis exprimere? Cùm ipse interim omnia generosissime sustinendo Deo gratiis assiduis litaret, nullamque vocem impiam aut stultam, qua Devm offenderet, ex ore mitteret: Cumque iam summi manuum pedumque digiti frigore corrupti defluxissent: ille velut alter Iob fortiter tolerando nullius ope aut cõsolatione subleuabatur, quòd sua quisq; incommoda & famem deploraret. Ille verò beatissimus puer, omnẽ illum ex fame & hyeme contractum dolorem Deo gratiis agendis adolebat. Tandem pius quidam Dei vir amans Nicephorus, dum vrbẽ obit, animaduertit hunc nudum sub fornice iacere abiectum, & vehementer commotus, ex animo ipsius vicem dolebat, quem & domum suam deportauit, & omni cura studiosissimè fouit. Deus etiam ipse summam ipsius patientiam è cælo contemplatus, & gratũ

in ad-

In aduersis animum complexus, intra paucos dies ad cæleste domicilium euocauit. Ante mortem cùm ad se missos videret cælites venire, gratulatus Deo beneficium, allocutus beatas mentes: benè, inquit, ô benè & opportunè adestis, ô formosi iuuenes, à Domino missi grati & expectati venistis. Obsecro expectate paulisper & mox vobiscum proficiscar: Religiosus quidam dedit mihi decem obolos, quos huic viro debeo, qui sumtum in me fecit. Manete igitur dum eos annumero, ne princeps harum tenebrarum causa hac arrepta me trahat in exitium. Hos illi simul ac dedit, animam edidit.

XXIV.

DVo quidam monachi non nisi Christianæ professionis rei, à paganis ad quæstiones & supplicium rapti sunt. Qui tamen mutuas inter se inimicitias exercebant. In carcere alter veniã à socio postulauit offensæ: cras, inquit, vltimo supplicio afficiemur, positis ergo simultatibus in mutuam gratiam, redeamus. Sed alter nulla ratione potuit adduci, vt petenti ignosceret. Postera luce rursum trahuntur ad quæstiones & cruciatus. Et ille qui postulanti veniam negauerat, statim cessit tormentis, & infelix Christum

Christum eiurauit. Miratus prætor. quid hoc,inquit, sibi vult, heri grauissimis excarnificatus pœnis tibi constitisti, hodie repente vinceris? Quia,inquit,socio meo supplici culpam non remisi, Deus me cœlesti sua ope destituit. Attende lector neminem posse in censum venire Martyrum, qui odium in pectore foueat,cum nemo possit amare Deum, qui hominem oderit.

XXV.

NArratum de anachoreta ab insidiatore mortalium circumuento, qui cælitem credebat, cum inferna esset larua. Huius germanus pater in siluam eandem egressus cum securi,vt materiam cæderet, à filio suo nefario parricidio mactatus est. Malus enim genius fascinato iam filio ostendit patrem cum ferro aduenientem. Et: en,inquit,pater tuus te occisum venit, anteuerte illum,& occupa cædem. Occidit filius patrem, à suo magistro architecto mendacij eruditus: *Probate ergo spiritus, si ex Deo sint.* Multi historijs patrum his artibus hostis æterni delusi, vel in altas puteorum voragines se præcipitarunt, vel in rabiem acti se & alios confecerunt.

XXVI. Mul-

XXVI.

MVltos annos quidam solitudinis cultor vitam sanctam agebat, qui Pythonis genio, hoc est, cacodæmoni superbiæ & stultæ gloriæ operabatur, à vera religione penitus auersus, in sectam enim Hieracitarum auius incidit, qui negant Christum hominē factum, negantque corporum nostrorum anastasin & futuram immortalitatem, quam soli animæ tribuunt, Tria principia constituunt. Deum & * * *, & malitiam. Hæc impio illi dogmata fuêre, quibus & quingentos à Catholica professione ad hæresin abstraxit. Etenim ex sanctorum patrum sententia duo sunt ordines damnatorum geniorum, alter eorum qui in Venerem agunt nostra corpora; alter qui in errores abducūt mentes nostras, qui ægerrimè ab homine pellūtur. Hic sathanas architectus est præstigiarum & magiæ & hæreseon & veneficiorū, ariolationum & artium huiuscemodi pessimarum. Quid ergo, inquit Episcopus ad Macarium, faciemus? Precandum ait Macarius. Verbis enim & disputationibus cū hoc nihil proficiemus. Recitat Episcopus capita fidei, sanctū symbolum. Sed Hieracita nihil mouetur, quin imò ad sepulchretum abit, vt ope sui prꝑstigiatoris, dœmonis inquā,

Lacuna.

De Hieracte & Hieracitis Vide Epiph. hær. 67. & Bar. Anno Christi 288. tom. 2.

vmbram ex sepultis reuocet in vitā. Sed precante Episcopo cum Macario, frustra fuit hæreticus. Tum sancto pontifice in genua fuso, dum preces ad Deum allegat, mortuus surgit, quod Hieracita spectans exanimatus concidit, & infelicem animam exhalauit.

Nota est æterna hæreseos, vt sit indocilis, refractaria, inemendabilis, superba, donec flammis & supplicijs æternis emendetur: cui rei testandæ appona ex Iosepho Acosta huic affinē historiam. *Mihi verò*, inquit, *hæc identidem cogitanti, vehementer subit humanæ infelicitatis profundum admirari. Quis enim talia nisi ab homine penitus insano, imò nec ab insano quidem, dici perpetrarique posse credat? Et tamen sunt verissima, & serio ab homine mortali meditanda & agenda. Nulla re capitur humana mens neque facilius, neque potentius, quam superbia. Nulla vis est veneni, nulla meri copiosi, nulla febris phreneticæ, quæ sic statum mentis euertat. nulla medicatissima potio ita in furorem rapit, vt animo semel humano imbibita superbia. Et quæ per furorem superbiæ loquimur, cogitamus, agimus, ea sani humilitate admiramur, atque erubescimus. Vbi enim humilitas, ibi sapientia. Vbi superbia, ibi protinus contumelia. Quo minus verò miremur Antichristi tantam elationem, referam cuiusdam eius certi discipuli eodem morbo, id est superbia*

perbiæ laborantis, non fictam fabulam. Fuit in hoc ipso Peruênsi regno vir magni pro illo tempore æstimatus, doctus Theologus, ac Theologiæ professor, idemque Catholicus, & pius diu habitus, ac penè tunc huius orbis oraculum. Is familiaritate mulierculæ cuiuspiam, quæ se edocteri ab Angelo magna quædam mysteria iactabat, quæque extra se interdum rapiebatur, aut rapi simulabat, veluti altera olim philumena, aut Maximilla Montani, ita deuinctus est, vt illam de summis Theologiæ quæstionibus sæpè consuleret. In omnibus pro oraculo haberet, magnis reuelationibus plenam & DEO valde charam prædicaret, satis alioqui sordidam, & perexiguo sensu præditam. nisi ad instituenda mendacia: igitur siue à Diabolo corriperetur, (quod facilius est credere) cum eiuscemodi extasim pateretur, siue callidè eam fabulam simularet, quod nonnulli viri prudentes existimarunt, ille Theologus, quod à muliercula magna & mira de se audiret, & multo grandiora futura conciperet, libenter ei se discipulum addixit, cuius patrem spiritualem agebat. Quid multa? eo abductus est homo, vt miracula faceret, & fieri sibi persuaderet. Cum miraculi vestigium ne tenue quidem extaret. Ob hæc & quod propositiones aliquot ab illa Prophetissa accepisset à sensu Catholicæ Ecclesiæ alienas, à sanctissimæ inquisitionis iudicibus toto hoc regno stupente comprehensus est;

ibi per quinquennium fere auditus, toleratus, examinatus, ac tandem patefactus est. homo omnium superbissimus & insanissimus. Cum enim Angelum sibi diuinitus datum, à quo omnia quæ vellet disceret, ac deinde summa Dei ipsius familiaritate, & immediato colloquio se potitum pertinacissimè assereret, in eas nugas delatus est, quas nisi ab homine prorsus mentis emotæ, dici nullo modo quisquam sibi persuadeat. Erat verò ille tam integro sensu, quod ad cerebrum attinet, vt mihi integrior non sit. Itaq; & seriò affirmabat se & Regem futurum, & Pontificem summum, Sede Apostolica ad hæc regna translata: concessam quoq; sibi sanctitatem super omnes Angelos & choros cælestes, atq; Apostolos omnes, quin etiam oblatam ipsi à Deo vnionem hypostaticam, sed ab ipso non esse admissam. Datum quoq; se redemptorem orbis, quo ad efficaciam, vt ille loquebatur, quod Christus solam quoad sufficientiam fuisset. Omnem statum Ecclesiasticum abrogandum: Leges verò alias se editurum faciles, & apertas; secundum quas cælibatus clericorum tolleretur. multitudo vxorum concederetur, confessionis necessitas excluderetur. Hæc atq; alia tanta contentione affirmabat, vt nos teneret attonitos, quod homo talia sentiens non insaniret. Deniq; diu euolutis gestis illius & plus quam centum & decem propositionibus hæreticis, aut à sana Ecclesiæ doctrina alienis condemnatis, iussi sumus, vt habet de more sacrum illud tribunal, cum homine disputare, si fortè ad men-

tem

tem & fidem reuocare possemus. Conuenimus autem cum ipsis iudicibus, & Episcopo Quitensi tres alii. Et introductus homo ea libertate & facundia perditissimam suam caussam defendit, vt ego in hodiernum diem etiam stupeam, eo adigi posse mentis humanæ superbiam. Professus est doctrinam suam non posse monstrari, nisi diuina scriptura & miraculis, quod esset superior omni humana ratione. Scripturæ autem testimoniis longè se apertius atque efficacius probasse, quam probauerit Paulus IesumChristum fuisse verum Messiam. Miracula autem se perpetrasse plurima, eaque tanta, vtChristi resurrectio non fuerit maius. Nam & se verissimè esse mortuum, & resurrexisse, atque id euidentissimè aiebat ille, esse ostensum. Scripturas vero proferebat memoriter (cum nullum librum haberet, atque ipso etiam breuiario spoliatus esset.tot & tam longas ex Prophetis, ex Apocalypsi, ex Psalmis, ex aliis locis, vt vel memoria esset admirationi. Eas verò, ita ad sua commenta adaptabat, ita allegorizabat, vt quiuis vel rideret vel fleret. Postremo si miraculis rem agere nobis placeret, se libenter ea statim exhibiturum. Hæc ita dicebat homo, vt vel nos insanos putare videretur, vel ipse insanire. Nam & per reuelationem sibi innotuisse iactabat serenissimum Ioannem Austriæ bello nauali à Turca esse superatum, & regnum Hispaniæ à Philippo inuictissimo iam pene amissum, & Concilium Romæ habitum, vt de deponendo Gregorio, & alio subrogando ageretur. Quæ ideo nobis significaret,

vt quoniam erant nobis certis nunciis nota, sciremus ei non nisi diuinitus innotuisse. Et cum essent omnia vsq; adeo falsa, vt amplius esse non possent, ab illo tamē asserebantur, vt notissima nobis. Denique cum nihil profecissemus per duos dies differendo, & ad publicum spectaculum esset in cæteris, vt in Hispaniis fieri solet, delatus, intuebatur semper in cælum, ignem in inquisitores & omnes grassaturum cælitus exspectans, vti illi erat pollicitus Diabolus: atq; ignis quidem nos nullus ex alto corripuit: illum verò & reregem & pontificem, & redemptorem, & nouum legislatorem ex imo flamma rapuit, atq; redegit in cineres. Hæc Acosta. Qui porro Hieracitæ fuerint, docet patrum sanctissimus & doctissimus Epiphanius hæresi LMVII. Tom. 2. lib. 2.

Ab Hierace Acheruntico illo accipitre secta Hieracitarum promanauit, quæ nuptias Christianis interdixit, infantes ante pubertatis annos à cælo exclusit, animorum in corpora reditum negauit. Quæ Epiphanius monstra dogmatum eruditè ibidem refellit. Plura de eisdem tartareis Harpyis Cardinal. Baronius Annali II. Anno Christi CCLXXXVIII.

XXVII. Ana-

XXVII

ANachoreta iunior quidam percontatus est seniorem, quæ sibi ratio esset instituenda in sua cella, & quomodo tempus traducendum? Ego, inquit pater, hunc seruo ordinem viuendi. Horas quaternas noctu somno indulgeo; quaternas rei diuinæ tribuo; totidẽ operi. Rursum de die vsq; ad sextam laboro, à sexta ad nonam lego sacros codices. Hora noná paro cœnulã, & si quid extra ordinẽ in domicilio meo curandũ est. Rursúm alter: Et quot preces sunt dicendæ? Ego, inquit pater, obseruo dictatã à cœlite legẽ S. Pachomio in scriptis datã; tu ꝙ tibi placet, facito. Et iunior: quę est illa angeli lex S. Pachomio præscripta? Hæc inquit pater. Quotidie duodenas persoluebat; vesperi ad lucernã senas, ad matutinũ rursum duodenas; hora nona ternas. Atq; tam paucas ideo præscripsit, vt possent imbecilliores sine molestia præscriptas obseruare. Nam perfectis data lex nõ est, qui sibi dictũ putant illud: *sine intermissione orate.* Adiecit & hoc ex Psalmo. *Erodii domus dux est eorum:* hoc est, quocunq; volat & fertur domus eius est. Et tu ergo quocunq; pedẽ tuleris, semper tecũ habita, & teipsum obserua; & da operã, vt ordinem accurate teneas, horas precibus assignatas, tertiam, sextam, nonam diligenter *Ex Patrib. circa finem.*

impende, opus faciendum, vesperas & meditationes non negligas. Nec vnquam ex animo luctum dimittas, obuersetur tibi semper *futura mundi calamitas*. Atq; hæc absq; magno labore non comparantur

XXIX.

Ex cap. de precibus in via adhibēdis. ἀμιδῆ an hic aduerbium, an ciuitati Amidæ nomē? De hoc Alamandaro in aula S. cap. 12.

ALamandarus Sicienus Saracenorũ Persis subiectorum rex, cum magnis copiis & ingenti furore in Romanorum fines Armeniam & Palæstinam populabundus irruperat, multa Christianorũ millia in seruitutẽ abduxerat, aliaq; multa impiè crudeliterq; in captos perpetrarat. Hac multitudine barbarorum per Anachoretarum quoq; sola loca & desertam vastitatem sparsa, renunciantibus prouinciæ custodibus barbarorũ incursiones, vt ascetæ se in Lauras tuendæ vitæ conferrent, visum est patribus principis Lauræ parendum esse monitoribus, vt qui in Ruba versarentur, in Lauram secederent, ibique singuli in singulis cellis religiosè conquiescerent. Sed diuinus ille Ioannes silentij & quietis suauitate captus, induci non potuit, vt solitudinẽ desereret, apud semetipsum in hunc modum ratiocinatus: si Deo curæ & cordi non sum, nec viuere quidem iuuat. Proinde non ad aliud asylum nisi ipsum supre-

premum numen confugit. Deus vero O. M. ſuorum clientium nequaquam oblitus, præcepit beatis Angelis, vt eſt in ſacris litteris, vti ſanctum ſuum cuſtodirent, Vt tamen Ioannem doceret Deus eum non exſortem eſſe communis hominum metus, miſit illi ad cuſtodelam vitæ, quem oculis cerneret, immanem feram, tremendum inquam leonem, qui ab ipſius latere neq; interdiu, neq; internoctu diſcederet, & tutũ à barbarorum impetu præſtaret. quem Ioannes prima nocte conſpicatus iuxta ſe cubantem, aliquantulum, vt ipſe mihi faſſus eſt, cohorruit. Poſtquam animaduertit leonem à ſe nuſquam diſcedere, & ſequi, quocunq; abiret, hoſteſq; à ſe defendere, tum vero effuſus in laudes Dei immortales Deo gratias cõcinuit, vt qui non reliquerit *virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.* Noſter autem perbeatus pater Sabbas Nicopoli profectus ad nouam Lauram condendam, & ad Spelæi molitionem, vt eſt ſupra lib. 2. dictum, regreſſus in memoriam ſomnij, quod de religioſo hoc Ioanne ſibi immiſſum erat, conuenit illic in Ruba, & : en, inquit, ſeruauit te Deus ab hoſtium incurſione. Iamnunc ergo te etiam atque etiam hominem cogita, & nihil humani alienum abs te puta, imitator & ſequere alios

patres, & confuge ad Lauras, ne te superbia olim in exitium trahat: alijsque haud paucis vsus rationum firmamentis persuasum deduxit in principem Lauram, & cella ibidem inclusit.

XXIX.

Nistero abbas ille eximius cum socio peragratus solitudinem, viso repente dracone fugit: cui comes: etiam tu pater times? cui Nistero: Næ ego fili, non timeo draconē, sed vanam gloriam. Spes est aduersus Deum ex fide nata quæ sancta est, & coniuncta cum iudicio & prudentia cognitionis. Est & alia diuersa ab hac ex impietate profecta, quæ & mendosa est. Obserua lector cautum senioris animum aduersus κενοδοξίαν.

Quicunque rerum noxiarum curam penitus abijcit. & seipsum DEO diesnoctesque commendat, omnia humana & profana propter studium virtutis negligit, totamque mentem & conatus suos in rem diuinam confert, vt sui oblitus nihil de apparando opsonio; nihil de cultu corporis; nihil de loci opportunitate & habitationis, nihil de

cæte-

cæteris cogitet, hic iure & sanctè spem suam omnem in Deum coniecit, tanquam ab illo omnia ad vsum vitæ necessaria accepturus, & hæc vera & germana & summa spes est nixa sapientia. Quamobrē æquum est huiusce-modi religiosum spe totum pendere à Deo, qui singularem eius curam in omnibus geret: sic enim ipse nobis recepit. *Quærite in primis regnum Dei, & cætera adiicientur vobis.* Qui autē omnia contraria facit, quam spem habeat in Deo?

XXX.

SAnctus quidē cœnobij antistes, & omni virtutum cultu exornatus, præsertim in sui contemptu sublimis, & misericordia in miseros singulari; charitate verò qua alios complectebatur; facilè superabat omnes. Hic assiduè Deum votis in hunc modum solicitabat: Domine, ego non ignoro mē culpa non vacare, summa tamen tua clementia fretus spero me ex misericordia tua in album beatorum admissum, iri. Precor ergo tuam pietatem Domine, ne patiare vnquam meum cœtum à me seperari, nec in præsens, nec in vllam temporum futurorum æternitatem, sed illos iuxta mecum cælesti regno digna-

En Gerontico in patrice ex c. de precibus alienis.

dignare propter bonitatem tuam Domine. His precibus assiduè fatigabat Deum, qui illum, vti in genus humanum pronus & clemens est Deus, de sua petitione hac ratione erudiuit. Appetebat in remoto quodam ab huius æde sacra, asceterio, dies sanctorum festus, ad quem inuitatus, per quieté allapsam accepit vocem iubentis: Ito, sed præmittito tuos fratres, tu postremus illos sequitor. Christus itaq; nostra caussa pauper & omnibus omnia factus, vt omnes saluos faceret, versus in ægri mendicantis faciem, media se via ritu miseri abiecit. Discipuli Cœnobiarchæ repertum & lamentantem rogant caussam tam miseræ eiulationis: quibus Christus: æger, inquit, insidebam iumento, quod excusso me fugit, & iam desertus non habeo qui me ad vrbem deportet, cui Monachi: quid te faciemus, aut quid tibi præstare possumus? nos ipsi pedibus iter facimus; illoque neglecto abierunt. Nec ita multo post venit ipse præses monasterij, & offendit eum abiectum & gementem, cognitoque illius statu quæsiuit: nonne paulo ante transière quidã monachi, & te hic etiam relictum inuenêre? Sanè, inquit æger, sed audita conditione mea abière, quod dicerent, se pedibus incedere, nec posse opem ferre. Et Abbas: potésne

paul-

paullum ingredi, vt simul sensim progrediamur? Non possum inquit. Ergo ades, inquit pater, subi tergum meum, ego te feram. Deus subleuabit nos, abeamus. Et æger: quomodo me per tantum spatium itineris feres? abi modo, & precare pro me. Et pater: Non dimittam, en hic saxum, cui te impositum subibo, & gestabo. Passus est ergo id fieri miser, & primum quidem sensit onus ad hominis modum graue; mox leuius, iterumq; facilius: tandem cum vix sentiret amplius sarcinam, cœpit mirari quid id rei esset: cum è vestigio qui gerebatur, nullus fuit & nusquã paruit, sed vocem audiit ita se compellantẽ: Quando assiduè preces sternis pro tuis discipulis, vti viui mortui vna sitis, & illi honore cęli ac beatitate iuxta tecum perfruantur; viden' vt longe diuersa illorum ac tua sint studia virtutum? Conare ergo illos ad tui emẽdationem incitare, vti se tecum exerceant, vt possim tuæ petitioni satisfacere. Nam ego iustus sum omnium arbiter & iudex: & æqui iudicis partes sunt, reddere singulis pro cuiusq; promeritis & factis. Alienæ preces tum demum prosunt, cùm tute tibi non obes, sed opere adiuuas precantem.

XXXI. Pro-

XXXI.

Ex Chronicis.

PTolomæo Philometore in Ægypto imperante, Iudæis cum summa potestate præerant Hircanus & Aristobulus. Cum Hircano se populus coniunxerat; cum Aristobulo sacerdotes, quos inter erat Onias & magnæ religionis, nec minoris æquitatis, vt qui pluuias in vltima siccitate precib⁹ extorserit. Hunc coëgerunt precari vti victoriã suis impetraret: Qui in hæc verba Deum appellauit. Domine Deus neque populo suppetias ibis contra Sacerdotes tuos, neque Sacerdotibus contra populum. quam ob causam extemplo neci datus est. Cuius cædem numinis vindicta subitò persecuta est, immisso Pompeio Magno, qui captam vrbem spoliauit, & ingressus sancta sanctorum ex consecratis vasis ex religione attigit nihil.

Cic. pro Flacco.

XXXII.

Ex eod cap.

LAudatissimus ille Macarius è vita migraturus magno honore cultus est à numine, cùm illi totos exercitus procerum cælestium misit, quibus ex ordine Cherubinorum veluti Dux viæ præiuit. Cæteris interim cælitibus cõcinentibus medium tenuit locum Cherubinus, splendore radiorum & pulchritudine formæ longè re-

ge reliquis augustior, qui magni illius Macarii animam vlnis exceptam ad cælum deducebat. Quam procul in aëre spectantes infernæ acies vociferabantur: Hem quantam gloriam indeptus Macari, modo nostras manus euasisti. Sed Macarius modestè, nondum inquit effugi, adhuc formido. Dein superior hostium phalanx admouere aciem cum tanto splendore aduenienti non ausa, idem quod inferior, ingeminauit. Sed diuinus Macarius idem quod ante respondit se nondum effugisse periculum, & adhuc formidare. At vbi ad æternas cæli portas promouit, supremæ copiæ principum Acherunticorum pro foribus excubantes idem, quod primæ, exclamarunt; idemque Macarius respondit, sibi adhuc opus fuga, nondum se canere triumphum. Postquam verè intra cæli claustra penetrauit; tum lupi tartarei vlulantes: euasisti nos infremuerunt. Tum demum Macarius clariore vsus voce percellendo monstra infera exclamauit. Iam sanè tandem insidias vestras & artes effugi, & reipsa libertatem in æterno Iesu Christi imperatoris nostri regno pro laboribus & pugnis contra vestras petitiones & tentamenta exantlatis sum assecutus.

Additur in Patrico historiæ huic ex do-

ctrina S. Simeonis Stylitæ operum supra naturæ facultatem effectoris. En, inquit, arcana vobis pando: Scio ego esse, qui à Deo certior factus est, perpaucos reperiri qui animas suas discessuri in manus cælitum commendent. Impietas enim & iniquitas refrigescente charitate, passim in orbe regnat impunè. Vnde fit vti stygiis prædonibus in prædam cedant.

XXXIII.

Monachus bonis reliquis abdicatis, retinuit sibi prædium perelegans, ad quod oculos adiecit politicus quidam illustri loco natus; sæpeq; religiosum appellauit super illo vendendo aut permutando, nec vnquã potuit inducere vt sibi gratificaretur. Interim admouetur idem ad eiusdem prouinciæ præturam, qui mox omnibus modis affligendo monachum ab expetita diu villa remouit. Qui vi oppressus cùm nullam expediret viam iuris sui à præside obtinendi, adiit sæpe religiosum quendam & senio & virtute venerandum, & fama sanctitatis illo loco percelebrem anachoretam, opem contra præfectum ab illo flagitatum, sed repulsum iussit pater ad suam cellam redire. Enim verò sæpius à curatore prouinciæ vexatus, rursum ad ascetam confugit, &: per ego te

Chriſtum inquit, rogo ſuccurre mihi, aut allega ad illum qui meam cauſam agat. Pater cùm ſibi monachus moleſtus eſſe non deſineret, ſcripſit literas ad prætorē in hæc verba. Monachus ob eam cauſam factus eſt monachus, nè quid poſſideat, quo poſſit iniuria effici. Si quid autem poſſidet, lædi poteſt, nec enim ſequitur officium monachi. Ita perſcriptam & inſcriptam ſignatamq; dedit ipſi monacho ad prætorem perferendam, qui (veluti Bellerophon aut Vrias) ignarus, quid ijs contineretur profectus, præſidi literas porrexit, qui cum reuerentia & veneratione oſculi acceptas reſignauit ac perlegit. Tum percontatus monachum an ſciret, quid Pater ſcripſiſſet? Vt, inquit monachus, mihi cedas meum prædium. Admiratus prætor anachoretæ ſcribentis virtutem, vocauit monachum, cum tota illius ſodalitate, publiceque epiſtolam legi imperauit, & propter ſolam ſenioris anachoretæ, qui exararat literas, venerationem ac virtutem, fundum ſuum monacho redhibuit. Non mirabimur ergo & numinis clementem bonitatem, & virtutis vim, qua ſcripſit anachoreta, cùm neq; palpauit per adulationem prætorem, neq; cum eodem grauius de iniuria expoſtulauit, & vti literæ flexerint præſidem ad

misericordiam, vt redderet quod à monacho rogabatur. Abdicatus ergò bonis monachus nihil retinet sibi præter corpus, cuius etiam abijcit curam, quam permittit Deo & à Deo destinatis viris religiosis, qui reliquis præsunt.

XXXIV.

Ex D. Areopagita Epist. 8. ad Demophilum, ex Patrico.

Illustris & hæc historia, qua docemur etiam aduersus ipsum cæleste numē peccantibus, non esse male imprecandum.

Dionysius ille cantatissimus è sublimi Areopagitarum senatu ad humilem disciplinam Christi translatus, hoc quod narro retulit. Cùm olim inquit in Creta morarer, diuerti ad presbyterum quem Carpum dixere, virum vndequaque & corporis mentisque integritate sanctissimum, & cælestibus rebus contemplandis aptissimum. Nunquam enim ad faciendum, sacraque mysteria tractanda accessit, nisi prius inter precandum cælesti aliqua illustratione, qua numinis erga se beneuolentiam sensisset, dignatus esset. Hunc ex paganis quispiam grauiter offenderat, quod à Christo quendam ad idolorum impietatem traduxisset. Ambobus igitur infensus, quibus debebat precibus succurrere, Deoque suffragante alte-

Incipit enarrare in prima persona, mox desinit, & narrat historicus seu Areopagita.

rum

rum quidem olim Christianum in viam reducere, alterum verò paganum patientia & bonitate vincere, neque desistere quo minus per omnē vitam adhortando ad cognitionem DEI veræque religionis admoueret. Tunc igitur, nescio quo pacto præter morem, vir optimus, ingentem animo concepit molestiam; adeo quippe grauem imbiberat mœrorem aduersus paganum, vt post vesperam, concubia nocte (consueuerat enim vir sanctus magnam noctis partem in diuinarum rerum contemplatione & laudibus ponere) dum colloquium cæleste cum Deo instituerct, magna indignatione commoueretur, diceretque verum æquumque non esse, impios superesse & vsura communi vitæ frui, qui vias Domini rectas peruersum irent. Vindicem ergo numinis iram obtestabatur, vt ambo fulminati & conflagrati vita crudeliter exturbarentur. Hæc precatus (imò imprecatus) cernit repente domum quam incolebat, à summo tecti fastigio diruptam in duas partes aperiri, flammamque ignis ante ora sua è cælo descendere; Christum verò Iesum in cæli cardine residētem innumeris indigenarum cælestium humano cultu fulgentium legionibus stipatum, quæ Carpus attonita mente stupe-

bat. Deinde submissis humi oculis, spectat pauimentum in immensum chaos discedere,& noctem infinitam hiare, duos verò illos execratos viros ad ipsum os immanis voraginis trepidantes; & in casum præcipites consistere; ex chasmate verò infimo formidabilem prorepere draconem, modo dentibus frementem, modo caudam stringendo prouocantem., subuoluentemque & se se glomerantem, nihil deniq; non tentantem, quo traheret vtrumque secum in hiatum infinitum. Spectabat insuper esse nonnullos inter ipsos serpentes, qui geminos illos diris deuotos & iam iam exitio imminentes propellerent & cæderent, vrgerentque vt illis præter casum, partim iam voluntarium, partim violentum & ab impio hoste paratum nihil superesset amplius ad ruinam. Carpus autem referebat se, neglecto cælesti spectaculo, tantum inferis intentum, ægrè tulisse duos illos, votis Orco consecratos non præcipites ruere in exitium sempiternum quos iterum iterumque execrabatur. Cumque paululum conquieuisset, rursum aspexisse, vt ante cælum; Iesum verò infelicium misertum consurgere, atque è cælesti solio ad miseros descendere, manum benignā porrigere, cælites circumcursare, iuuare, succurre-

currere, fulcire, trepidantes firmare. Ipsumq; Christum manu iam ad iuuandos præcipites protensa Carpo dicere. Me deinceps Carpe cæde, rursum & sæpius paratum ad necē pro genere humano subeundā. Et hoc mihi optabile est, dummodo à peccādi vsu desistant. Sed tu Carpe vide, an è re tua sit, permutata sorte & societate cælitum, in illo horrifico noctis æternæ chao inter lærnas & dracones æternum versari & cruciari.

Quid hoc Christi facto illustrius, quo patientiam erga noxios & impios docemur, illis non vindictam & fulmina intorquenda, nec exitium sempiternū vouendum, sed vnice amanterq; cōplectendos omneq; genus hominum, pro quo Christus millies oppetere nunquam non est paratus, fouendum & ad salutem æternam deducendum.

XXXV.

S. CHRYSOSTOMVS.

S. Ioannes ille magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ admirandus Pōtifex, imò totius mundi illustre sidus, sæpenumero diuinitus illustratus, vidit nullo quidem non tempore beatorum cælitum præsentia domum DOMINI (templum inquam) cele- *Ex Cod. MS. Bibl. Serenißi. Maximiliani.*

 brari,

brari, sed ipsa maximè hora sacrosancti & incruenti sacrificij. Itaq; plenus admirationis ac stuporis gaudioq; animæ inundatus, germanis suis & religiosis amicis priuatim rē totam exposuit. Auspicante enim inquit, sacerdote rem diuinam, subito è cælo magna vis cælestium copiarum siue angelorum descendit, qui omnes splendidissimo cultu induti, nudi pedes, oculis attentis & in idem omnibus intentis, vultu submisso altare obeunt & magna cum reuerentia, veneratione, quiete, & silentio vsque ad finem tremendi sacrificij adstant. Dein certatim relictis aris singuli accedunt ad Episcopos, Presbyteros, & Diaconos omnes, qui populo immaculatum Christi corpus & sanguinem propinant, illosque iuuant, & allaborando confirmant. Hæc D. Chrysostomus, quibuscum egregiè conspirant, quæ Ioannes Moschus in suo viridario exponit: *Quodam*, inquit Leontius, *die, Dominico descendi in Ecclesiam, vt acciperem sacra mysteria, ingressusque vidi angelum stantem ad dextrum altaris cornu, & magno pauore correptus, reuersus sum in cellulam meam. Et venit vox de cælo dicens: Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum,* Idem narrat de anachoreta: *Alius abiit ad speluncam ipsius, ingressusque vidit angelum Dei stantem super altare,* quod

quod fecerat senior atque sacrauerat: atq; ad angelum anachoreta: Quid hic agis? cui angelus ille: Ex quo sanctificata sunt ista, à Deo ipso mihi credita sunt. Quin & illud eiusd. auctoris huc facit cum docet in villa Mardandos Ciliciæ, nunquam oblatum à presbytero sacrificium, nisi prius vidisset ipsum Spiritum sanctum è cælo descendentem, & altare obumbrantē. Illustrius est, quod apud eundem extat de Episcopo sancto, à Romano Pontifice Agapito in carcerem coniecto, quod à ciuibus suis reus esset postulatus & falsis criminationib⁹ circumuentus. audiamus ipsum Moschum per Ambrosium Camaldulensem loquentē; Est procul à Romana vrbe breue oppidum quod Rumellum dicitur. In eo oppidulo Episcopus erat magnæ virtutis & meriti. Die ergo, quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanum Antistitem Agapitum, accusantes Episcopum suum, ac dicentes, quia in sanctificato vase manducat. Pontifex autem solo auditu perculsus, mittit duos ex Clericis vt vinctum Episcopum, & pedibus iter agentem Romam perducerent. Venientem verò continuo misit in carcerem. Cum ergo tres dies egisset in carcere Episcopus, venit Dominicus dies. Et cum Papa quiesceret, illucescente Dominico

die vidit in somnis quendam astantem sibi, ac dicentem: Hac die Dominica neq; tu offeras salutarem hostiam, neque alius quispiam Episcoporum qui sunt in vrbe ista, nisi solus Episcopus quem habes carcere inclusum. Illum enim hodie offerre volo. Expergefactus autem Papa, & de visione quam viderat hæsitans, dicebat in seipso: Talem contra illum accusationem suscepi, & ipse habet offerre? Venit igitur ei secundo vox in visione dicens: Dixi tibi, vt Episcopus, qui est in carcere, solus offerat. Ambigenti adhuc tertiò apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex, misit ad carcerem, & accersito ad se Episcopo, percunctabatur eum dicens: Quod est opus tuum: Episcopus autem nihil aliud respondit, nisi, Peccator sum. Cum verò Episcopo persuadere non posset, vt aliud diceret, tunc ait ad eum Papa: hodie tu offerre debes. Cum ergo sancto altari assisteret, & Papa prope illum astaret, diaconis altare circundantibus, cœpit sancta Missarum solemnia Episcopus. Et cùm complesset orationem oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundò, ac deinceps tertiò, & quartò dicere ipsam sanctæ orationis oblationem. Cunctis verò eam moram molestè ferentibus, dicit ei Pontifex.

Quid

Quid hoc est quod iam quartò hanc orationem dixisti, nec eam cõcludis? Tunc respondit Episcop⁹: Ignosce mihi pater sancte: quia non vidi iuxta consuetudinem sancti Spiritus descensum, idcirco non terminaui orationem. Sed sancte mi Domine diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remoue, ego enim illi dicere nõ audeo. Tunc iussu diui Agapiti recessit diaconus, & continuo vidit Episcopus & Papa S. Spiritus aduentum. Sed & velum quod altari super impositum erat, vltrò sublatũ est, texitque Papam & Episcopum & Diaconos omnes, qui sancto altari adstabant, quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapitus agnita sanctitate Episcopi ex perspecto miraculo, quamque falsam calumniam perpessus esset cognoscens, quod illum ita vexauerat, tristis effectus, statuit non iam amplius per surreptionem quidpiam agere, sed cum maturo consideratoque iudicio, & magna longanimitate procedere.

Nec tamen idcirco sacrificium vel contemnendum, vel vilius existimandum, si nõ à sancto mysta; sed impuro aliquo sacrificulo aut scelerato sacerdote administretur, neq; vis & diuina virtus hostiæ cælestis, à faciente suam mutuatur aut trahit vel sanctimoni-

am vel affectum,sed ab ipso numine, quod hominē induit,& per hominem in sacrificio litatum,genus humanum Deo conciliat. Illustre huius est argumentum & testimonium in chartis Græcis è S. Isidoro petitum, quod huc latinè transcribo. Vir admodum clarus & illustris, atque prudentiæ sapientiæque laude celebratus, moribusque & vita emendatus (nam gradus honoris, quo propter dignitatem colitur, velut vmbram & somnium prætereo) (cum ad sacrosanctas aras sacra & diuina mysteria sumturus accederet, & animaduerteret rem diuinam fieri à viro ab annis quidem maturo, & sacris rite initiato,sed omni flagitiorum & impuritatum genere cooperto, retulit pedem, dedignatus à tam impuris manibus tam pura & sancta sacra accipere.Ego verò quantopere ea re cognita fuerim perculsus nō expono;illū verò(à sacra synaxi propter administri improbā vitam se abstinentē) quanta potui vi aggressus reprehendi:Nihil inquam,vir sapientissime, detrimenti capitis, qui sacram Eucharistiam ab indigno propinatam accipit; neque intemerata sacra à sacerdote,quāuis omnes mortales improbitate & nequitia superet, temerantur.Quod si tibi incredibile videatur,succurrat animo tuo impurus ille, & prolis suæ implu-

Ex MS. Bib.Sereniss. Maximil.

implumis oblitus ac osor coruus, per quē tamen ille cælestis aurigator & superum collega ciuisq; Elias altus atq; pastus est. Aliaque rursum attuli, quæ nunc prætermitto. Sanctorum mysteriorū participatio, communicatio appellata est, quod nos cum Christo per gratiam in charitate conciliet, & regni illius cælestis consortes efficiat. Quicunq; Sacerdotem vita moribusq; Sacerdotio dignū veneratur, hominem colit & laudat: qui vero indignum suo officio, reueretur, Sacerdotium ipsum honore debito afficit. Tu porro cogita vtrum sit præstantius; nonne hoc alterum? Hæc bone vir, perpende, & sine delectu vllo ministri, contremisce potius cum ad diuina Sacramenta accedis.

Porro Sacerdotes quamuis impios & sacrilegos cultu & honore afficiendos docet ex Theolepto Franciscus Turrianus: Vides, inquit Theoleptus, quemadmodum qui erat mundus, factus est immundus (de Ozia rege tractabat) quia reprehensionem Sacerdotis contemsit? & quia quod non erat sui officij ausus est? intellexisti quemadmodum ex contumelia in sacerdotium per superbiam & cōtemptū lepra effloruit? Vide rursus, quemadmodum submissio & humilitas studiose Ecclesiam frequentandi, & Sacerdotium

tium colendi, lepram depellit. Est in narrationibus SS. patrum, vidisse laicum quendam suis oculis sacerdotem Ecclesiæ, quam frequentabant, in crimine adulterij deprehensum; adijsse eum tamen fidenter, & absque vlla dubitatione, cum postero die sacrificaret, ex manibus eius sanctam Eucharistiam accepisse. Postquam verò accepisset, petisse ab eo, vt frontem, quam habebat leprosam, cruce signaret: quod cum fecisset, lepram quidem tanquam squamam excidisse, frontem verò sanam & nitidam apparuisse. Res profectò stupenda, & diuini iudicij plena. Non fecit crimen gratiam vacuam, ne præberetur locus obtrectationi sacerdotum, & ne eos quiuis iudicaret, imò habuit gratiam efficaciorem, propter dignitatem sacerdotij: vt doceremur, cum ad sacerdotes imus, non ad homines, sed ad Deum nos ire, qui per eos nobis tribuit dona, nosq; sanctificat: & quod is qui cũ fide accedit, efficiatur voti compos: quodq; neque vitium sacerdotis alterius fidei noceat: neque rursus sola vita sacerdotis alterius fidei noceat: neque rursus sola vita sacerdotis non credentẽ iuuet. Sacerdos enim quatenus homo est, & infirmitate præditus, non potest iuuare, vt neque tu rursus eum, vt qui sis pari infirmi-

tate,

tate, homo enim homini prodesse non potest. At sacerdos sacerdotij dignitate præditus, gratiam sibi conciliat : siquidem donum Dei est sacerdotium, per gratiam verò afficitur Deo propinquior.

LECTOR

LECTOR VALE.

Hæc mihi ſunt multis VIRIDARIA *ſolibus aucta;*
Nunc promuntur opes, quas populentur apes.
Cardamon in medio iuſsi tibi creſcere campo,
Torqueat vt nares, exacuatq; animum.
PHÆACVM *teneros ſi læſeris vnguibus hortos,*
Languentes viuent ver breue, moxq; cadent:
Noſtra manus nullas fugiunt hæc prata, nec vngues;
Quo magis imò ſecas, hoc magis inde virent.
Ergo licet quantum libet, vſq; legaſq; teraſq;:
Sic dabis his vitam lector, & accipies.

INDEX

INDEX RERVM.

A.

Ada-

Ante-

Clausi

D.

Excu-

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

T. SS. Tria-

T.

V.

X.

CORRECTA.

P.6.v.8.à fine *flagitium*.p.100.v.2. à fine *pro munimento*.101.2. *in omnem partem*.163.11. *superstitiones*.183.17. *rationemq;*.192.8.à fine *recedere*.224.11. *suff̄i-ctas*.225.7.à fine *si*.